Dissertatio inauguralis medica sistens disquisitionem caussarum sterilitatis hominum utriusque sexus ... / [Ádám Molnár].

Contributors

Molnár, Ádám, 1716?-1780.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hendelii, [1747]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/v4muj4gc

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
SISTENS
DISQVISITIONEM CAVSSARVM STERILITATIS HOMINVM VTRIVSQVE SEXVS,

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BVCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,
FACVLT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS
AD D. V. IVLII A. S. R. MDCCXLVII.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
ADAMVS MOLNÁR,
NOBIL. HVNGARVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

58700(17)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO,

DOMINO

D. ANDREAE ELIAE BVCHNERO,

S. R. I. NOBILI,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS SANCTIORIBVS,

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA MEDICINAE ET PHYSICES PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,

ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDI DIGNISSIMO, ET COMITI PALAT. CAESAREO,

FACVLTATIS MEDICAE H.T. DECANO SPECTATISSIMO,

DOMINO PATRONO ET PROMOTORI INPRIMIS COLENDO,

IN GRATI ANIMI TESSERAM

DEBITAEQVE REVERENTIAE MONVMENTVM

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

CVM VOTO PERPETVAE PROSPERITATIS

D. D. D.

AVCTOR.

§. I.

Omnibus, quae mortali conditione generata ſunt, a natura tributum eſt, vt quodammodo ſempiterna ſint, non quidem numero & ſubſtantia, verum ſpecie, dum immutabili aeternitate viuentium ortus & procreationes continuantur. Aduertimus enim, quodlibet indiuiduum, cum mortale & diſſolubile ſe ſentiat, aliud ſibi ſimile optare in ſuum locum reponere, in quod & languidam, & inclinantem ſuam vitam quodammodo conferat, & cuius procreatione quaſi repuerafcens & renouatum, quodammodo perpetuum fiat & aeternum. Hanc ob rem Creator ſapientiſſimus duplicem ſexum, maris & feminae, condidit, vtrique tum facultatem, tum organa ad procreationem ſui ſimilis neceſſaria tribuens, quae in complexu inter ſe miſcendo ſemet, tertium progignunt, vt ſic ſpecies in perpetuum ſalua

conseruaretur. Interim quamuis haec generandi libido cunctis viuentibus aequaliter indita sit, videmus tamen alia aliis esse foecundiora, & ad speciei suae multiplicationem ac propagationem aptiora alacrioraque; immo experimur nonnulla officii sui penitus quasi oblita atque sterilia. Quodsi enim contemplamur nobilissimum illud animale naturae regnum, obseruabimus profecto innumera hominum aeque ac brutorum animalium infoecundorum & sterilium exempla, audiemusque plurimos mortalium vtriusque sexus de ἀτεκνίᾳ, siue, vt cum HIPPOCRATE loquar, de ἀφορίᾳ & ἀγεννησίᾳ conquerentes, de quibus eleganter Celeberrimus D. D. HEBENSTREIT, in *Patholog. metr. §. 4. v. 138.*

Deus irrita vota
Pluribus esse sinit, videns genitalibus aruis
Tunc nullas nasci segetes - -

& v. 73.

Et sua fata maritus habet: mox irrita vota
Consecrat, & vacuas celebrat cum coniuge noctes.

§. II.

Communis quidem est haec sors cuiuis mortalium ordini, at cum tenuioris fortunae homines plerumque ex maturiori coniugio parentibusque firmis ac vegetis nascuntur, simplicius educantur, & moderato victui laboriosaeque vitae a teneris adsueti, corpora in ineunte aetate neque otio torpida, neque vino Venereque debilitata ac eneruata reddunt, sed integras vires plenasque pharetras ad thorum coniu-

coniugalem adferunt, fit, vt in his rarius sterilitatis vitium obseruetur. Contra lautioris fortunae mortales, quiue & natalium splendore, & opum adfluentia fulgent, persaepe vel ex immatura debilique Venere procreantur, vel parentibus valetudinariis nascuntur, vel nati delicatule fouentur & educantur, vel denique, vbi vix ex ephebis excesserunt, vita inordinata Cerereque & Baccho corpora sua debilitant, destruunt, seseque, priusquam viri sint, euirant. Hinc non mirum, eos plerumque, qui omnibus fortunae bonis adfluunt, quiue in summo felicitatis huius vitae fastigio constituti sunt, natorum ex se heredum solatio destitui, & experiri, quod nihil sit ab omni parte beatum. Vnde fit, vt plurimis horum & vita sit minus iucunda, & mors acerba, praeuidentibus quippe, post fata hereditates suas & bona anxie conquisita ac conseruata in alienas manus peruentura; vt taceam immensam rixarum segetem, & saepe reipublicae noxias discordias, fata eorum nonnunquam comitantes.

§. III.

Haec rerum humanarum vicissitudo, huiusque curatior pensitatio ansam nobis praebuit, vt, dum qualecunque specimen inaugurale medicum, profectuum in castris Apollinis factorum, dare vellemus, in *caussas sterilitatis hominum vtriusque sexus* inquirere constitueremus, & quidem eo ordine, vt determinata sterilitatis notione, primum in genere caussas eius in vtroque sexu disquiramus, dein vero sigillatim primum in maribus, tum in feminis easdem pro

virium

virium modulo excutiamus. Faxit vero propitium Numen, vt tenue hocce nostrum conamen in sui nominis gloriam, & proximi cedat emolumentum.

§. IV.

Dicturis de *Sterilitate,* non est nobis animus in campos Philologorum excurrere, vocisque huius homonymias & synonyma anxie conquirere, item an ea a graeco στεῖρος, haecque a στερέω, *priuo*, originem ducat? quaeritur potius hic, an praedicatum sterilitatis in vtrumque sexum quadret, an vero sequiori tantum conueniat? Minime quidem nos latet vulgo nota illa distinctio, qua infoecundam feminam *sterilem*, marem vero, qui se virum praestare in Veneris sacris nequit, *impotentem* adpellant, quam & nos in suo valore relinquimus: at non facile quisquam illum decalogi Hippocratici reum arguet, qui & in maribus sterilitatis caussas quaerit, cum in scriptis Medicorum haud infimi subsellii haec promiscue sumta & vsurpata aduertamus integraque capita in practicis, aut integros tractatus, de sterilitate vtriusque sexus inscriptos, videamus.

§. V.

Immo nisi nouationis suspectas redderemus hasce pagellas, statueremus & sterilitatem, & impotentiam certo respectu in vtroque sexu: cum *impotentia* vi nominis dici posset ille status, vbi vel in femina vitium conformationis externum, vel etiam quocunque casu adquisitum, in partibus genitalibus impedimento est, quo minus congressus coniugalis locum debite inueniat, vel viri membrum siue ob

defe-

defectum erectionis, ſiue ob aliud quodcunque vitium, ineptum eſt ad praeſtanda mariti officia. *Sterilitatem* autem eum diceremus ſtatum, in quo, externis organis vtriusque recte ſe habentibus, coitus quidem celebratur, ſemen emittitur & recipitur, ſed impraegnatio non ſequitur, cauſſa vel in ſemine virili, vel in aruo muliebri latente. Interim hanc opinionem nemini obtrudentes, praemonendum duximus L. B. nos hic termino *ſterilitatis* de vtroque ſexu vti, non quidem animo contradicendi diſtinctioni §. IV. adductae, ſed ne id, quod de ſterilitate valet, reſpectu impotentiae repetere, ſicque cramben bis coctam apponere debeamus.

§. VI.

Pro impedimentorum generationis varietate, varias etiam ſterilitas admittit *diuiſiones;* ſic reſpectu *aetatis & vitii organorum*, diuiditur ea in *naturalem*, ſeu *congruam*, & *praeternaturalem*, ſeu *non congruam*. *Naturalis ſterilitas*, improprie ita vocata, eſt illa conditio partium genitalium, vbi hae per aetatem ad generationem ineptae ſunt. Atque huc refertur aetas impuberum, quibus partes generationi dicatae nondum ita euolutae ſunt, vt ex coniunctione ſexus tertium produci poſſit. Ceterum diuerſis haec aetas, pro gentis, hanc vel illam regionem incolentis, item pro climatis, temperamenti ac nutrimenti, hinc ſequentis incrementi & roboris, ſexusque diuerſitate, circumſcribitur limitibus, vt taceam educationem & conuerſationem, quae haud parum impuberum matureſcentiam accelerat, vel retardat.

Hinc adparet, in quantum Legislatores Romani rem acu tetigerint, plenam pubertatem vtriusque sexus lege constituentes ac determinantes. Vix enim natura in his leges sibi praescribi patitur, quippe quae, vt supra laudatus D. D. HEBENSTREIT, *l. cit. p. 21.* scribit:

Plus virtutis habens, quam quae pro corpore solo
Sufficit augendo, vacuos nunc semine testes
Prolifico natura ferax complere laborat.

Dein ad hanc classem sterilitatis refertur & illa aetas effoeta ac senilis, in qua fontes exhausti & exarescentes, fractaque & hebefacta arma, in castris Veneris adhiberi solita, vtrumque sexum receptui canere iubent. Ceterum nec senilis haec sterilitas eodem apud omnes clauditur termino: videmus enim feminas citius, mares tardius, immo & illas, & hos inter se maturius, vel serius deflorescere, effoetosque fieri.

§. VII.

Praeternaturalis porro, seu *non congrua sterilitas*, est ille status hominum vtriusque sexus, vbi vel ex vitio organorum generationi inseruientium, interno vel externo, vel in partibus corporis solidis aut fluidis latente, congressus coniugalis vel celebrari nequit, vel sine subsequa conceptione celebratur, congrua ceterum aetate & modo. Atque in huius caussis indagandis nos inprimis in sequentibus sollicitos esse oportet. Sunt etiam, qui existimant, vi quadam occulta & artibus diabolicis induci posse mortali-

talibus sterilitatem, quam *supranaturalem* vocant; hanc vero hic tantum nominasse sufficiat. Maioris momenti est illa *artificialis*, quam turpis lucri spe inducti, potissimum Itali, puerulis testiculos exsecando, & Turcae aliaeque gentes Orientales, zelotypia motae, omnia penitus virilitatis testimonia delendo, in suis perpetrant. Immo nec desunt exempla castrationis in puellis, exsectis ouariis peractae, qualem obseruationem habet *Regn. de* GRAAF, de rustico quodam Germano, salacem suam filiam castrante.

§. VIII.

Deinde respectu personarum, cum hoc vel illo indiuiduo in matrimonio sterili viuentium, diuiditur sterilitas in *relatiuam*, & *absolutam*. *Relatiue sterilis* dici potest illa persona, quae ex connubio huius indiuidui quidem spe sua matrimoniali excidit; quamprimum vero aliud subiectum sibi adiungit, omnia ei ex voto fluunt. Contingit hoc frequentius, vel ob latentes quasdam in alterutro coniugum caussas, vel ob nimiam aetatis, virium & constitutionis corporis disparitatem, vt LANGIVS *in Diss. de Sterilitate*, §. *XXVII.* docte obseruauit. Vbi enim mas ad conflictum venereum alacris fuerit, femina autem non tam facile in oestrum rapiatur, vel vice versa, sterilis vtplurimum redditur concubitus. Prostant plurima talis matrimonii, in historiis & obseruationibus medicis, exempla. Sic *Liuia* ex *Tiberio Nerone* liberos suscepit, *Tiberium* & *Drusum*; Caesari vero *Augusto*, etsi maxime ab eo adamare-

tur, nullam edidit sobolem, teste TACITO *Lib. V. Annal. cap. I.* Huc facit quoque notabilis casus, ab immortalis memoriae BOERHAAVIO, *in Praelect. ad Inst. rei med. ad §. 694.* de principe Galliae adnotatus, qui diu cum optima vxore in sterili coniugio vixerat; vltimo ex iudicio supremae Curiae coniugium solutum est, sed mox maritus in viduum thorum aliam vxorem duxit, & vidua alteri nupsit, atque ille filios, haec pariter prolem ex secundo coniugio tulit. Cui exemplo Vir ille illustris hanc subiungit epicrisin: *Adparet, foecunditatem etiam a mutua quadam relatione pendere posse, absque vllo absoluto vitio aut viri, aut feminae. Absoluta* vero *sterilitas*, de qua iam HIPPOCRATES *Lib. de Nat. mulier. & de Sterilit.* mentionem fecit, illa dicenda erit, vbi omni tempore, omni loco & omni modo Venus languet, vel sine successu celebratur.

§. IX.

Porro impedimenta generationis haerent vel in ipsis membris propagationi generis humani dicatis, vel in alio corporis externo vel interno vitio; vtrumque vel a parentibus habemus, vel quomodocunque nobis adtraximus. Atque hinc emergit sterilitatis diuisio in *connatam*, & *adquisitam*. *Hereditariam* fingere absonum duco, cum nemo facile patrem matremue suam & maiores suos sterilitatis arguet; nisi per hanc *connatam* intelligere velis, vbi quis vel quae vitium aliquod organicum ex vtero materno secum adfert, vel singularem quandam totius corporis debilitatem, huc vsque se extendentem,

tem, a parentibus quaſi transplantatam, nanciſcitur, id quod inprimis illis euenit, qui vel ex praematuro, ſiue ſerotino nimis thoro, vel parentibus morbis chronicis, arthriticis, ſcorbuticis, aut nephriticis affectis ac debilitatis, nati ſunt. Certum enim eſt, fortes creari fortibus, debiles debilibus, valetudinarios valetudinariis. Tale exemplum coniugii ſterilis coniugum ex debilibus parentibus ortorum, habet Illuſtr. *Frid.* HOFFMANNVS, *Med. rat. ſyſtem. Tom. IV.* itemque *Conſult. & Reſp. Med. Cent. II. & III. Sect. IV. Caſ. CXX.*

§. X.

Tandem reſpectu durationis & euentus aliam *conſtantem* ac *perpetuam*, aliam *temporariam* poſſes dicere ſterilitatem, vti multa ſunt exempla coniugum, plurimos annos infoecundorum, donec tandem nodus Gordius ſoluitur, & aloë flores fructusque fert, vbi alii ad tumbam vsque oleum & operam perdunt, vitio vel in alterutro coniugum latente, vel & terra ſterili, & ſemine fatuo, exiſtentibus. Contingit etiam, vt viro vel alteruter teſticulus, vel vterque, vt & feminae ouarium ablatum, vel vitiatum ſit, quo reſpectu nonnulli diuidunt ſterilitatem in *vnilateralem*, & *bilateralem*. Sed hoc vitium raro generationi officit, & habemus exempla monorchidum, aeque ac vno ouario praeditarum, quae filios & filias procrearunt. Vbi vero vtraque haec vaſa deſunt, vel vitio laborant, ibi plenariam ſterilitatem adeſſe extra dubium eſt. Praeterimus reliquas ſterilitatis diuiſiones, in *epidemicam*, cuius non

facile habentur exempla, & *endemiam*, quae non tam toti regioni vel vrbi, quam familiae cuidam interitum minari potest, vbi plures fratres & sorores sine prole decedunt. Vnica adhuc tamquam prognostica adiici posset, nempe sterilitatem esse vel *curabilem*, vel *incurabilem*, quae vero in superioribus fundata est distinctionibus. Atque haec de definitione & diuisione sterilitatis praemittenda duximus: transibimus iam ad ipsam caussarum eius disquisitionem.

§. XI.

Vnius rei plures esse posse caussas, & ratio & experientia docet; hinc praeuideo insignem difficultatem, omnes sterilitatis caussas accurate inuestigandi & detegendi, cum tot tantaeque obscuritates occurrant ratione diuersorum subiectorum, vt vix, ac ne vix quidem semper diuinare liceat, quaenam in hoc vel illo indiuiduo caussae lateant. Accedunt diuersae & saepe ineptae sententiae Veterum ac recentiorum, qui modo hoc, modo illud fermentum vterinum, aut suum archaeum laesum, aut dormientem, languidum, & quae sunt reliqua, accusant, in quos non immerito doctissimus SYDENHAM, in *Praefatione Operibus suis praefixa*, censorium calamum strinxit, dum, *nemo*, inquit, *autem est, qui non videat curiosos istos speculatores in caussis primo primis fere ac remotissimis indagandis, ac in lucem, (vt vt inuita Minerua ac reclamante naturae sensu) protrahendis operam perdere; immediatas vero & coniunctas, seu ante pedes iacentes, contemnere, quae*

tamen

tamen necessario debent cognosci, & possunt etiam, sine ficulneis huiusmodi adminiculis, cum intellectui se aperte sistant, vel proprii sensus testimonio, vel anatomicis obseruationibus ab aliis iam pridem factis, retectae. Atque vt impossibile est, vt Medicus eas morbi caussas ediscat, quae nullum prorsus cum sensibus habent commercium, ita neque est necesse; abunde enim sufficit vt sciat, vnde immediate oritur malum, talesque eius effectus atque symptomata, vt inter hunc aliumque morbum, huius non dissimilem valeat accurate distinguere. Nobis igitur, missis de fermentis & archaeo somniis, animus est insistere inuestigationi caussarum, quae intellectui sese aperte sistunt, vel proprii sensus testimonio, vel anatomicis obseruationibus ab aliis detectae sunt.

§. XII.

Caussarum, quae in vtroque sexu ad sterilitatem suum symbolum conferre possunt, multae ita sunt comparatae, vt, licet non per se sterilitatem inferant, tamen pro diuersitate subiectorum, aetatis & circumstantiarum concurrentium, eandem producant. Non opus est hic respectu aetatis multa dicere, de qua §. VI. necessaria iam monita sunt. Cadit quippe vitium sterilitatis in eam praecipue aetatem, quae liberis progignendis matura, apta habilisque censetur, quae habilitas ordinarie adesse indicatur, vbi in maribus seminis secretio, oris ac partium genitalium pubescentia se prodit, in feminis vero menstrui fluxus molimina & primitiae ad-

parent *a)*; cessante vero in his plethora, mensibusque euanescentibus, & in illis secretione boni sanguinis, ac excretionibus parcius succedentibus, fibris & musculis debilitatis, fecunditatem quoque cessare, si non certum, tamen admodum probabile est.

§. XIII.

Sed priusquam pedem vlterius proferamus, quaeritur hic: An sexus alter prae altero aliquam praerogatiuam in negotio generationis habeat, numque plures viros, an feminas steriles orbis alat? id quod quidem obseruationibus illustrare non possumus, nulli vero dubitamus posterius adfirmare, credentes cum MANNINGHAMO *b)*, & Auctore Tract. *de l' Impuissance, Paris. 1611.* sterilitatem coniugum plerumque esse a feminarum vitio, quippe quae, teste Illustr. *Frid.* HOFFMANNO, *Med. rat. system. Tom. II. P. III. Cap. I. §. 30.* prae viris, morbis plus sunt expositae, adeo vt duplo maiores illae patian-

a) Eleganter sane *Diotima*, mulier fatidica, SOCRATI in Symposio: *Omnium*, inquit, *o Socrates! hominum praegnans & grauidum est corpus, praegnans & anima. Et cumprimum ad certam aetatem peruenerimus, parere nostra natura cupit.* vid. FERNELIVS *Lib. I. Cap. VII. de abditis rerum caussis.*

b) In artis obstetr. Compend. Sect. de Conceptione: *Oritur*, inquit, *sterilitas plerumque feminarum vitio, triginta enim mulieres steriles in singulos viros impotentes, si diuisio fieret, inueniri possunt.*

patiantur, hocque inprimis reſpectu vteri, qui iam ab HIPPOCRATE, *de morb. mulier. II.* omnium morborum cauſſa habitus eſt, quem & WEDELIVS *in Exercit. med. philol. Cent. I. Dec. I. Exerc. VIII.* auctorem & centrum quoddam affectuum muliebrium dicit, ex quo omnes quaſi lineae ducuntur, omnesque illuc ex toto corpore confluunt. Immo ſi vel vnicum menſtrui fluxus negotium conſideramus, quot quantisue iniuriis expoſitum ſit, & quam exacte fertilitas huius ſoli ab eo dependeat, facile L. B. nobis conſentientem habebimus, qui immunitatem maſculorum ab his incommodis perpendit, vtut & hi ſuos ſaepe patiantur manes.

§. XIV.

Sed accedamus propius ad praefixum ſcopum, inueſtigaturi cauſſas ſterilitatis primum in *temperamento habituque corporis* ſexus vtriusque. Exſtare in ſanguine noſtro, qualis per vaſa corporis humani fluit, haec quatuor principia, aquam, terram, ſalem & oleum, chemica experimenta docent. Et quidem aquae in corpore humano tanta copia reperitur, vt merito praecipuum corporis noſtri elementum habeatur, adeo, vt & ipſas partes eius ſolidas plus aquoſarum, quam terrearum particularum continere, Chemia oſtendat; de oleo vero noſtro animali ipſa pinguedo, prout de ſalibus ſaponaceis bilis & ſaliua abunde teſtantur. His corporis elementis ea proportione inter ſe mixtis, qualis ad perfectam requiritur ſanitatem, naſcitur corporis temperies; vbi vero aliquod horum praedominium prae reliquis

tenet, fit illud, quod Veteres *temperamentum* vocarunt, huiusque, pro numero elementorum corporis, quatuor species, *sanguineum, cholericum, melancholicum* & *phlegmaticum*, constituerunt. Frequenter contingit etiam, vt vnum ex his elementis nimia proportione reliqua excedat, inde *intemperies* totius corporis, *frigida* vel *calida, humida* vel *sicca*, foecundissima morborum genitrix, nascitur. Nam vbi aqua in corpore abundat, tota eius substantia est laxa, frigida, tumida, pallida, & prae debilitate languens, hydropica: vnde in talibus corporibus ventriculus & omnia viscera, concoctioni secretioni & excretioni inseruientia, atonia laborant, consequenter nec chylus bonus, nec sanguis probus & prolificus generari, nec denique liquor genitalis viuidus secerni, praeparari ac perfici potest, adeoque nec felix sui generis propagatio ab his mortalibus expectari.

§. XV.

Pari modo principiorum salino-saponaceorum excessus, dum acrimonia sua volatili omnes succos & humores corporis inficit, morbos arthriticos scorbuticosque generando, viscera & vasa destruendo, totamque sanguinis massam putredine defoedando, vtrique sexui sterilitatem infert. Immo nec ex iis facile liberi sperari possunt, in quorum corporibus siccum illud terreum elementum nimia sua copia praedominium tenet; prout enim ex fonte, cuius ductus & scaturigines exaruerunt, limpidam aquam non hauries, & ex trunco arido germen raro vide-

videbis, ita ex macilento triſti & tabido corpore praeditis fruſtra ſobolem exſpectabis. Nec minorem ſterilitatis metum nimia oleoſarum particularum in corpore abundantia incutere poteſt. Obeſa enim corpora laborant ſumma inertia, liquidorum immeabilitate, ob vaſorum pinguedine ſepultorum teneritatem ac debilitatem, totius denique ſubſtantiae frigiditate & inſenſibilitate, vt taceam coitus & conceptus impedimenta, infra ex HIPPOCRATE adducenda, qui etiam, adductas ſterilitatis ex intemperie ortae cauſſas *Sect. V. Aphor. 62. & 63.* omnes complectens, primum de mulieribus: *Quaecunque*, inquit, *frigidos ac denſos vteros habent, non concipiunt;* ratio eſt, quia tales vteri & venas & vaſa habent anguſta, ſanguinisque menſtrui inopia & frigiditate laborant. Pergit porro laudatus Senex: *Quaecunque humidos habent vteros, non concipiunt, extinguitur enim in ipſis genitura; & quaecunque ſiccos magis & aduſtos habent vteros; prae inopia enim alimenti corrumpitur ſemen.* Haec de feminis; de viris autem *Aphor. 63.* dicit: *Similiter autem in maſculis: aut enim propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur, vt ſemen non deducat: aut propter denſitatem humor non procedit foras: aut propter frigiditatem non concaleſcit, vt ad hunc locum congregetur, aut propter caliditatem hoc idem contingit.*

§. XVI.

Hanc corporis temperaturam plerumque &

animi mores sequuntur *c)*. Qualecunque enim etiam sit entis cogitantis cum machina corporis nostri quam maxime composita commercium, hoc longe certissimum est, aliquod esse, id quod animi affectus clare, vti puto, loqui videntur, quorum efficaciam & in negotio generationis animaduertere licet. Inuiti

c) Quantopere animi pathemata, & negotiosae mentis actiones corpora mortalium eneruent, ostendit Illustr. PLATNERVS, in doctissima Dissert. *de negotiosa actione propter valetudinem circumcidenda*, vbi §. VI. *Animi vero affectus, veluti iram terroremque, saepe graues ancipitesque morbos facere, quotidianum est. Nec multo minorem efficacitatem habent aliæ affectiones, quae lentius & quasi cunctanter procedunt. Nam & hae animo insidentes corpus ita laedunt, vt illud longinquis morbis contabescat &c.* Et §. XIX. *Exhauriuntur intenta cogitatione illi tenerrimi succi, a quibus in corpore omnis sensus, omnis vitalis, naturalis, animalis, immo & humana actio dependet.* Hinc §. XXVI. acrem attentamque cogitationem, mentemque inquietam vitandam iis suadet, qui liberis operam daturi, venereis voluptatibus vtuntur, subiiciens rationem, venereas res, & insidentes animo ex acri contentione cogitationes, vires minuere & frangere, hocque facto hominem ad propagationem ineptum reddi, vnde tandem sub fin. §i concludit: *Omnem negotiosam actionem, quae rationem, mentem, consilium, cogitationem requirit, a rebus venereis esse alienam.*

uiti enim amores vtplurimum ſteriles, deſiderati contra foecundi eſſe ſolent. Mens itaque a Venere penitus auerſa, teſte *Laz.* RIVERIO, *Prax. med. Lib. IX. Cap. XV.* itemque odium, moeſtitia, ſimilesque vehementiores inter coniuges vigentes affectus, haud raro ſteriles reddunt thoros, cui ſuffragatur & Ill. HALLER, in *notis ad Praelectiones Boerhaauianas §. 694. not. n.* dum cauſſam ſterilis coniugii plerumque defectum veri inter coniuges amoris eſſe ſtatuit. Non auſim quidem cum MERCVRIALI *Lib. II. de morb. mul. cap.* 2. pro apodictica veritate venditare, feminam foecundam, tempore cohabitationis cum viro plorantem, prolis non reddi participem, cum plurima proſtent exempla puellarum violenter defloratarum, feminarumque violenter compreſſarum, quae tamen & conceperunt inuitae, & pepererunt feliciter. De ſic dictis myſogamis, & quae ad horum naturam accedunt, viraginibus, Veneris vſum non ſolum non appetentibus, ſed plane reformidantibus, eleganter PROPERTIVS *Lib. I. Eleg. XIV.* canit:

Parcior eſt illi Veneris vel nulla cupido,
Membra ſopita iacent, nihil hic iuueniliter vrit
Caſtus amor, viridisque ſenex florentibus annis
Deficit ante diem, ſeſeque ignauior ipſo eſt.

§. XVII.

In his vero explicandis an ad ſolum corpus reſpiciendum, & ab eius inſipidis vndis talis in Venere torpor deducendus, an ad idioſyncraſiam confugien-

dum sit, dubius sane haereo. Solum corpus eiusque humores accusare nollem; hoc vero persuasus credo, pro diuersa crasi fluidorum & structura tensioneque solidorum corporis humani, diuersam quoque esse animae oeconomiam; at, haec iterum quatenus per se ista fugiat, illa ambiat, ad haec obeunda promta, ad illa deses sit, haud facile determinari poterit, cum & ipsae impressae ideae gratae, vel ingratae Psychologorum, haec non omnino satis exhauriant. Nollem vero cum Astronomis hanc ob caussam astra adire, & inquirere, an tempore partus huius vel illius indiuidui, Venus a Saturno laesa sit, vel etiam sterile illud subiectum in Saturni vel gemellorum signo natum sit, quemadmodum ALBERTI M. libellus *de secretis mulierum*, aliorumque similis farinae Auctorum scripta, talibus naeniis referta sunt. Videntur enim hi astrales Auctores deos e coelo vocare, vt soluant nodum fabulae, vt WEPFERVS *de Cicut. aquat. cap. XV.* loquitur. Dices, ergo idiosyncrasia quaedam accusanda erit, vel cum HIPPOCRATE ad τὸ θεῖον prouocandum, & sincere fatendum, esse aliquid, quod nec dici, nec describi potest; sed & hi termini hodie atro lapillo notantur, & *asyla ignorantiae* vocantur. Si vero dicendum quod res est, vbi nec acie mentis, nec oculorum quidquam detegere licet, ibi doctam ignorantiam nonnunquam profiteri praestat, quam incerta, ludicra & fabulosa fingere, idque saltem ne nihil dixisse videamur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Sed luſtremus porro res extra nos ſitas, quae influxum quendam in corpora mortalium, & quidem pro diuerſa eorum receptiuitate diuerſum, habere obſeruamus, latentes in his ſterilitatis cauſſas indagantes. Huc referimus cum HIPPOCRATE, *Lib. de aëribus, aquis & locis*, regionis ſitum & clima, aëris mutationes, anni tempus, rerumque non-naturalium vſum & abuſum, reliquasque earundem circumſtantias. Ita laudatus Senex *l. c. §. III.* notat, incolas ciuitatum in plaga meridionali, locisque paluſtribus & lacuſtribus ſitarum, ventisque & Soli non bene patentium, pro tempeſtatis variatione, variis morbis obnoxios eſſe, humida ac pituitoſa capita habere, ventres ipſorum frequenter exturbari, formas debiliores eſſe. Hinc morbos iis vernaculos recenſens, mulieres multas ſteriles eſſe ex morbo, non a natura, & frequenter abortire, ſcribit. Vterus enim nimiis fluxionibus obnoxius conceptionem non admittit, vel ſemen inſperſum nimia humiditate ſua extinguit, quod demum cum ſanguine menſtruo copioſe adfluente elabitur. Non ſecus viros frequentibus dyſenteriis & ventris fluxibus, febribus longis, aliisque longo numero ibidem recenſitis morbis adflictos & eneruatos, ſteriles euadere obſeruat.

§. XIX.

Dein & *temporum anni* variae *mutationes*, ventorumque auſtrinorum & aquilonarium praedominium, prout plurimorum morborum, ita & abortus ac ſterilitatis, tam in hominibus, quam brutis,

ſaepe

saepe caussae esse solent, vt hoc, praeter alios obseruatores, Illustr. *Frid.* HOFFMANNVS, in *Obseruationibus barometr. meteorol. cap. VI. & VII.* & in Tr. *de temporibus anni insalubribus, Tom. V. Operum*, adnotauit *d)*. Sed frequentiora adhuc rerum non-naturalium abusus generationi ponit impedimenta. HIPPOCRATES *l. cit. §. 5. & 6.* recensitis morbis, qui ex aquarum frigidarum durarumque vsu oriuntur, §o sequenti: *Ex mulieribus vero*, inquit, *primum quidem multae steriles fiunt, propter aquas, quae durae sunt ac crudae & frigidae:* purgationes enim mensium non contingunt commodae, sed paucae ac prauae; idque, vt *Ludou.* SEPTALIVS *in Comment. ad hunc locum* dicit, ideo, quia ob aquarum duritiem, crassitiem, frigiditatem, sanguis quoque crudior, crassior, frigidiorque redditus, expurgari, obstructis meatibus, non potest, quo facto vasa sanguine turgentia genituram non admittunt, immo etsi admittant, nutriri eam prohibent. *Quae vero aquas palustres potant, his*, inquit diuus Senex, *oedemata oboriuntur, & pituita alba, & in ventre non concipiunt.*

§. XX.

Prout vero defectus cibi & potus, (iuxta illud: *Sine*

d) Frigus intensius seminis generationem impedire, docet *Mich.* ETTMÜLLER, *Opp. Theor. pract. P. II. Cap. XIV.* & SALMVTHVS *Cent. III. obs. 91.* refert, milites per aquam transuadantes, cum testes refrixissent, etiam animositatem amisisse, sterilesque factos esse.

Sine Cerere & Baccho friget Venus,) immo & parcus nimis ac praui nutrimenti victus steriles reddit mortales: ita & excessus multum generationi officere potest. Voraces enim & ebriosi dum ventriculum nimia ciborum & potuum copia onerant, huic atoniam inducunt; hinc deprauata concoctio, visceris huius debilitas, flatulentia, cruditas chyli, reliquorum viscerum atonia, deprauata sanguinis mixtio, obstructiones, sexcentaque huius generis mala, in tota corporis machina oboriuntur *e)*. Hoc autem facto, impedita probi sanguinis secretione, sobolis quoque, corpore in hoc statu permanente, frustra speratur procreatio. Neque enim ea, quibus ventriculus infarcitur, nutriunt, sed quae in eo & canali intestinorum rite subiguntur, soluuntur, miscentur, mutantur & separantur. Hoc vero minus rite fieri poterit, vbi plus ingurgitatur, quam menstruum illud, ex glandulis & apicibus arteriarum & ex pancreate ac hepate adfluens, soluere potest; quippe prout in chemicis certa proportio quantitatum inter corpus soluendum & menstruum soluens esse debet, ita etiam in laboratorio primarum viarum corporis humani pariter comparata res est.

§. XXI.

Neque vero solum quantitas, sed & qualitas cibi ac potus sterilitatem inferre potest. Ita esculenta

e) Vict. TRINCAVELLIVS, *Consil. Lib. III. Consil. 10. & 75.* habet casus feminarum, a male affecto & frigido ventriculo sterilitatis labe affectarum.

exsucca, dyspepta, viscida, acida nimis & refrigerantia, quae aegerrime, nec vnquam rite a ventriculo subigi digerique possunt, consequenter malum & crudum chylum praebent, ex quo minime talis sanguis generari potest, cuius flos in viris aeque ac feminis ad prolificationem aptus satis & idoneus foret, absque dubio, vsu diuturno, mortales steriles reddunt. Eadem de nimia spirituosorum potuum ingurgitatione valent. Vnde GALENVS, in *Lib. quod animi mores corporis &c.* ex PLATONE demonstrat, hominibus in vino delinquentibus, vt ebriosis, semen inutile reddi; & ARISTOTELES *Lib. III. Probl. 4.* semen ebriosorum magna ex parte infoecundum dicit. Hanc ob rem HIPPOCRATES Libr. de *Superfoetat. §. XI.* coniuges ad Veneris sacra accessuros, si ea ex voto succedere velint, sic admonet: *Mulier ipsa, cum ad virum accedere oportuerit, ieiuna sit: vir autem non sit ebrius.* Recte ergo PROPERTIVS *Lib. III. Eleg. 15.* de Baccho sic canit:

Tu potes insanae Veneris compescere fastus.

Quodsi vero omnes potus species examinare vellemus, in amplissimum nobis excurrendum foret campum. Sunt, qui fuscum illud & fere iam vulgo familiare infusum fabarum Coffée atro lapillo notant, & qua neruis inimicum, Veneris stimulos extinguens euiransque, illis dissuadent, qui sterilitatem magis, quam Venerem timent. At quam innocens hoc respectu hic potus moderate sorbillatus sit, quotidiana euin-

euincit experientia *f)*. Nec de potu infusi Theae alia nobis est sententia, nisi toto die, vt quorundam fert consuetudo, sorbilletur; tum enim radicale vitae fomentum destruere adserunt Medici Sinenses, teste KAEMPFERO, *Fascic. III. Amoenit. exotic. Obseru. 13.* Nec desunt, qui vsum herbae Nicotianae homines emasculare statuunt, quo metu inductus olim *Amurathes IV.* Turcarum Imperator, edicto capitali vsum tabaci subditis suis interdixit, rationem legi subtexens, quod is prolis multiplicationem impediat, referente VIGENERO *Lib. de ritibus legibusque Turcar.* At, quam sterilis hic sit metus, tabacini fumi amatores horumque posteri testabuntur.

§. XXII.

Dum de iis, quae in ventriculum ingeruntur, verba facimus, adiicienda quaedam eorum existimauimus, quae, ex fonte pharmaceutico depromta, per eandem viam regiam corpus nostrum subeunt. Plurimos mortalium nimia medicatione corpora sua destruere, & saepe in secunda valetudine, praeseruatiuis,

f) Clariss. Dn. D. PLAZ, in Dissert. *de potus Cofe abusu, catalogum morborum augente*, §. XVII. organis generationis infensum esse existimat istum potum, eneruando eadem & tono iusto priuando; sed hoc de iis intelligit, vt §. XII. innuit, quibus non solum dies, sed & hora, quam sine Cofe vsu transigunt, perdita videtur, quos aeque ac aliis potus generibus abutentes, effeminatorum catalogo adscribi non negamus, si effectus testetur.

tiuis, vt dicunt, remediis abutendo, aduersae praesidia consumere, & priscorum & hodiernorum Medicorum obseruationibus constat. Iam HIPPOCRATES, *Lib. I. de morb. mulier. §. 27. contingit*, inquit, *& hoc plerisque, quum debiles existentes vteri, ab affectione macilenti fiunt: aut prae medicamentis, & fomento multo, genituram ferre non possunt.* Id quod in plurimas delicatulas femellas hodierni quoque seculi quadrat, quae prae nimio vsu medicamentorum aegrotant. Vt nihil dicam de iis, qui, dum vel ob naturalem corporis debilitatem, vel aetatem iam declinantem, Venus ipsis languet, largo aphrodisiacorum vsu eandem excitare, & quasi naturae vim inferre volunt; at fallunt hi vtplurimum & falluntur, siquidem natura sese facile cogi haud patitur. Ceterum non solum apud veteres, sed etiam apud superioris seculi Scriptores medicos, magnus recensetur pharmacorum, sterilitatem inducentium, numerus, sub titulis, coitum, venerem, vel erectionem virgae impedientium, sperma exsiccantium, vel etiam impraegnationi & conceptui officientium, sub varia forma, potionum, fotuum, vnguentorum & amuletorum, descriptorum; quae vero vtplurimum superstitionem & fabulam sapiunt, vel si quid omnino ad sterilitatem faciunt, id fit indirecte, humores corporis refrigerando, spiritus vitales obtundendo, &c.

§. XXIII.

Petuntur autem cacopharmaca illa ex omnibus naturae regnis, quorum ex Veteribus tantum quaedam tangenda duximus, vt videatur, in quantum ab

illis

illis sterilitas metuenda sit. Ita PLINIVS tali virtute pollere scribit, abrotanum, agnum castum, cicutam, helenium, nasturtium, satyrionem, portulacam, salicem, &c. ex regno animali, corium & vngues lyncis, fimum muris, cineres stellionis, testiculos canis, cutem superiorem testudinis, vrinam propriam hominis cum vrina canis mixtam, quae omnia in viris venerem extinguere, vel impedire autumat; sic etiam in feminis eadem vi agere tradit, asplenon, clymenum, filicem, mentham, nymphaeam, apium, rutam, &c. DIOSCORIDES vero & SERAPIO, inprimis autem AVICENNA, vim sterilificam adscribunt allio crudo, aquae valde frigidae, calaminthae montanae, coriandro, farinae fabarum, pyrethro, polio montano, rosae, camphorae, cyclamini, piperi post coitum supposito, foliis populi, hyssopo, lapidi in ventriculo vel corde cerui nato, coagulo leporis, scolopendrio & sexcentis aliis. Horum vestigiis insistens ALBERTVS M. insignem, pro credulitate sua, tradit lapidum amuletorumque, Venerem inhibentium, catalogum, quo refert lapidem Gelosiam, Iaspidem, Sardonicum, Sapphyrum, Smaragdum, Oritem, quibus omnibus virtutes venerem prohibendi, castum & pudicum reddendi, & tempore coitus appensis, impraegnationem impediendi, adscribit; sed sit fides penes auctorem.

§. XXIV.

Interim non est inficiandum, dari nonnulla pharmaca, quae, si immoderate exhibeantur, Veneri officere possunt. De *nitro*, aestus sanguinis domitore,

haud desunt obseruationes, largiorem eius vsum non solum libidinem moderare *g)*, sed & diutius continuatum, penitus exstinguere, quod facit partim labefactando tonum primarum viarum, partim refrigerando & crasin sanguinis destruendo. *Camphoram* quoque cum Veteribus nonnulli recentiores vel per solos nares adtractam euirare, volatilitate sua spiritus dissipando, crediderunt. At docet hodierna praxis, eius vsum internum & externum non adeo ex hoc capite extimescendum esse. Num vero maiori in quantitate exhibita, aliquam vim antaphrodisiacam habeat, hoc cum Celeberr. SCHVLZIO, in *Thes. de mat. med.* experientiae suffragiis commendamus. Porro & *narcotica* Venerem reprimere, inprimis vero *opium*, cum ceteris corporis motibus, venereos quoque stimulos sedare, plurimi putant. Contrarium vero de eo nobis Itineraria Orientalia probant, dum referunt, Turcas opio scopo aphrodisiaco frequentissime pro voto vti; de quo vide plura in WEDELII *Opiologia*. Quod autem *emmenagoga* vtero muliebri grauem maculam inurere possint, extra dubium est. Nec immerito huc referenda sunt remedia *nimis adstringentia*, diu continuata, saturnina, inuiscantia *h)*, item balnea, iniectiones, insessus, & lotiones illae

g) vid. Casum LII. *Baldas. Timaei a* GÜLDENKLEE, *Opp. Med. pract. L. III.* viri nimium quantum salacis, vsu nitri, a TIMAEO exhibiti, ita demum deferuescentis, vt vxori demulcendae vix sufficeret.

h) Ita laudatus ETTMÜLLERVS, *loc. cit.* omnia, quae spiritus

illae adſtringentes, quibus femellae virginitatem renouare ſtudent.

§. XXV.

Medicamentis pharmaceuticis liceat adnectere *operationes chirurgicas*, quae maiorem forte ſterilitatis metum adferre poſſunt. Huc ſpectat *herniotomia & lithotomia*, quae, inprimis in viris, ſi ab incauto & imperito Chirurgo peragantur, facile veſiculas ſeminales proſtatamque deſtruere poſſunt, maxime ſi in perinaei regione operationes hae adminiſtrentur, vt quidam recentiorum commendant. Sic etiam *catheteris* frequens, vel incauta adplicatio, & *peſſorum* imprudens adhibitio, anſam ſterilitati praebere poſſunt. Huc denique quam maxime facit *partus laborioſus* nimis, & qui fit contra naturam, vbi vterus variis inſtrumentis effringi, vel infans ab imprudente, inexperto artisque ſuae minus gnaro chirurgo ſectione caeſarea educi, vel etiam fruſtillatim extrahi debet, quo tempore facillime vterum deſtrui penitus & ad conceptionem inhabilem reddi poſſe, per ſe patet. Nihil dicam iam de vitiis, quae in vtroque ſexu poſt curationem incautam gonorrhoeae, fluoris albi, aliorumque morborum partium genitalium, nonnunquam remanent ac generationem impediunt.

§. XXVI.

ritus animales figunt, ſeminis generationi obicem ponere docet, v. g. acida, vitriolata, nitrata, iremque nimium mercurii viui internum & externum vſum ſterilitatem producere autumat.

§. XXVI.

Post victum inordinatum, pharmacorumque intempestiuum & imprudentem vsum ac adplicationem, meretur attentionem *motus corporis immodicus*, & *diuturna quies:* Quippe

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Et vitium capiant, ni moueantur, aquae.

Etenim nimia quies, vitaque otiosa ac sedentaria, inprimis cum lautiori victu coniuncta, corpora obesa, torpida & imbecilla reddit, humores lentos, spissos & viscidos efficit, secretiones & excretiones impedit, atque prout innumeris morborum insultibus, ita & sterilitati ansam praebet. Videre hoc est in lautioris fortunae, & vitae delicatae otiosaeque addictis mortalibus, quorum plurimi non solum morbosam, sed & sterilem ducunt vitam, cum alii, qui labore & motu corpora firmant, & sanitate fruuntur optata, & sobole beantur numerosa. HIPPOCRATES *Lib. de aëribus, aquis & loc. Sect. XLVII.* refert de Scythis, eos propter desidiam perpetuam crassos carnososque ac pingues reddi; masculi enim eorum, antequam potentes fiant equos conscendere, plurimum temporis in curribus desident, raroque prodeunt, vt ambulent. Muliebrium autem corporum formas ad miraculum vsque fluxas existere scribit, subiiciens demum Sect. seq. *Neque vero possibile est, foecundam esse eorum naturam, cum viri minime cupidi sint cum feminis commisceri, ob nimiam corporis liquiditatem, ventrisque mollitiem ac frigiditatem.*

Et

Et paullo poſt de feminis: *Mulieres pinguedo carnis & humiditas ſteriles facit, prae quibus vteri earum genitale ſemen nequeunt continere. Lunares namque purgationes eis non eueniunt, quemadmodum eſt neceſſe, ſed minus & intempeſtiue per longius tempus. Ipſumque amplius vteri os prae pinguedine concluditur, vt nequeat ſemen ſuſcipere.* Addit denique rationem: *Sunt enim otioſae & pingues, ventresque earum frigidi & molles, vnde neceſſario ſequitur, non multum foecundam Scytharum gentem eſſe.* Contrarium ſtatim, de famulis ancillisque Scythicis, hisce ſubiungit, has viris miſceri plurimum gaudere, in vteroque conceptum continere, propter corporis exercitium frequens.

§. XXVII.

Pari modo exceſſus in motu, immoderataque corporis exercitatio, artus delaſſando, ſpiritus vires-que vitales exhauriendo, & toti corpori rigorem, marcorem, debilitatemque conciliando *h)*, cauſſam ſterilitati ſuppeditare ſolent. Teſtatur id laudatus Senex, *loc. cit. Sect. 50.* Scythas equites ab equitatione diuturna articulorum doloribus corripi & euirari,

E ſcri-

i) Confirmat hoc ſupra laudatus PLATNERVS, dum l. c. §. VIII. *Nimio motu*, inquit, *ſucci illi diſſipantur exhauriunturque, qui in cerebro in ſic dictos ſpiritus verſi, per neruos in omne corpus, ad praeſtandum ſenſum motumque, diuiduntur; his defectis nerui, & inter hos ii etiam, qui ad cor atque pulmones pertinent, reſoluuntur, &c.*

scribens, qui quando vxores adeunt, impotentesque se factos vident cum illis coire, induunt se veste muliebri, palam se euiratos esse confitentes, ad mulierumque contubernia transeunt, earum opera tractantes. Quae impotentia eorum quod non tam a venaesectione retro aures facta, quam ab excessu in equitatione ortum habeat, ipse HIPPOCRATES in sequentibus ostendit, his verbis: *Hoc itaque malo ditissimi Scytharum afficiuntur, minime vero infimi; immo qui maxime & genere, & potentia praeualent, ex nulla alia, quam continuae equitationis caussa, hoc perpetiuntur.* Et Sectione seq. vlterius scribit: *Vbi enim frequenter & continue homines equitant, ibi plurimi a diuturnis doloribus articulorum, coxendicumque maxime & pedum, corripiuntur, ad coitumque fiunt impotentes.* Addit hac ipsa Sectione & aliam infoecunditatis gentis huius caussam, nempe *braccarum*, sive *femoralium angustorum genus*, quod Scythae gerunt. Sunt istae braccae sine dubio similes iis, quibus Hungari nostri, veri veterum Scytharum posteri, vtuntur. His vero vtebantur strictis & angustis, crura partesque genitales firmiter continentibus, vt commodius & citra impedimentum possent equis insidere. Quo facto fiebat, vt testes organaque generationi inseruientia compressa, neque nutrirentur probe, neque augmentum caperent, sed vasis ad haec meantibus coarctatis & destructis, haec quoque contabescerent. Inde illa euiratio & sterilitas; id quod & nostris Hungaris pro cautela esse potest.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sed lustremus iam *excreta* & *retenta*. Neque enim ille, qui bene ingerit & probe digerit, sanus est, sed qui digesta simul rite excernit & egerit. Vti vero plurimorum morborum caussae saepe sub vitio excretionis latent, ita & generationis impedimenta haud raro inde dependent. Nolumus hic longi esse in demonstrando, quomodo per impeditas secretiones & excretiones varius status morbosus in vtroque sexu generetur, tota sanguinis massa, immo vniuersa corporis substantia, labefactetur ac vitietur, consequenter & sanguinis proliferi, & seminis secretio ac perfectio impediatur; verum conuertimus nos statim ad specialiora, ad illas nempe secretiones & excretiones, quae intra & circa partes genitales vtriusque sexus fiunt. Quodsi in viris semen vel prorsus non, vel minori copia, quam opus sit, vel etiam vitiosum, gignatur & secernatur, aut in feminis nulla, aut paucissima menstrua excretio succedat, quemadmodum id contingit mortalibus habitus pinguioris, naturaeque calidioris, vel frigidioris, in quibus natura omnem materiem seminis proliferi in corporis nutritionem, aut pinguedinem conuertit, tum hos maxime sterilitatis labe adfectos esse, extra dubium est. At longe plures his sunt, quibus prouida mater natura hunc quidem thesaurum largita est, sed qui frequentibus foedis prostibulorum complexibus, vagaque venere illum dilapidantes, sese ita exhauserunt, vt cum tandem ad legitimi thori vsum accedunt, steriles & impotentes suspirent, tristi saepe

memoria intempestiue profusi genitalis thesauri in mentem reuocata; verum, sera haec turpis facti poenitentia eiaculata tela non reuocabit amplius, nec organa, per turpes morbos exinanita ac destructa, in auitam restituet integritatem. Valent haec & de mulieribus in Veneris palaestra strenue exercitatis, quippe quas frequenti in hoc certamine congressu aeque sterilescere posse, immo steriles reddi, docent exempla illarum, quae quaestum corpore exercent. Confirmat hoc & *Alex.* MASSARIAS, in *Praelect. de morb. mulier. concept. & part.* dum *Cap. VI.* dicit: *Et quoad coitum, certum esse debet, mulieres quo frequentiores coeant, eo esse steriliores.* Vnde HIPPOCRATES *Lib. de steril. Sect. XI.* monet mulieres, vt si genituram se concepisse cognouerint, ne amplius ad virum accedant, sed quiescant.

§. XXIX.

In feminis porro menstruationis quoque negotium attendi meretur. Quodsi enim vel plane non, vel nimis tarde & inordinate menstrua procedant *k)*, teste HIPPOCRATE, feminae non concipiunt. Hinc

k) ETTMÜLLERVS, *loc. cit. P. III. Cap. I. & II.* caussas emansionis mensium, hincque ortae sterilitatis, statuit esse vel in ipso vtero & vasis eius, vel in sanguinis excernendi vitio. Prius fit, dum vagina vteri obstructa & mucilagine pituitosa infarcta est, &c. Posterius vero fieri dicit a cruditate, crassitie ac viscoditate massae sanguineae; hanc vero oriri a cruditatibus stomachi acidis, &c.

Hinc *Lib. de steril. Sect. IV.* diuus Senex expressis verbis scribit: *Si vero mulieri menses non prodeant omnino, aut ab omnibus relatis, etiam sic non concipit: venae enim sanguine plenae genituram non suscipiunt: & in vteris aliquid inueterati sanguinis inesse necesse est, quod genituram nutriri prohibet: si vero pauciores, quam debeant, menses prodeant, neque sic praegnans fit.* Et supra §. XXVI. allegato loco, hanc caussam reddit sterilitatis feminarum Scythicarum, quod lunares purgationes eis non eueniant, quemadmodum necesse est. Non quidem nos latent relationes & obseruationes, de Brasiliae, Grönlandiae, borealiumque regionum feminis, quae raro vel nunquam menstrua patiuntur, felices nihilominus matres existentes; at haec, aliarumque feminarum, nunquam soluto menstruo vectigali parientium, exempla, vix derogabunt quicquam regulae illi Hippocraticae, peculiaris quippe corporis fabrica, cui priuilegium illud tribuendum, in his latere potest, vt existimat Illustr. HALLER, in *notis ad Prael. Boerhaau. ad §. 667. not. f.* Prouti vero defectus, ita & excessus excretionum menstruarum impraegnationem impedire potest, partim vterum nimis humectando relaxandoque, partim susceptum semen extinguendo, eluendo, vel etiam embryonem copioso adfluxu excutiendo. Vnde HIPPOCRATES *de steril. Sect. IV. Et si quidem,* inquit, *mulier multos menses demittit, sterilis fit.* Huc quoque referri possunt nimius haemorrhoidum fluxus, haemorrhagiae nimiae, frequentes deiectiones dysentericae, quae

vtrique sexui sterilitatis labem inferre possunt. Vt taceam pollutiones nocturnas, siue eae voluntariae, siue inuoluntariae sint, gonorrhoeam, fluorem album, pruritum & fricationes, quae omnia saepe sterilitati ansam praebent; fonticulorum vero fluxum non adeo extimescendum puto, vt nonnullis videtur.

§. XXX.

Dicendum iam foret de *immoderato somno* & *vigiliis nimiis*, corpora mortalium consumentibus vitalesque spiritus dissipantibus; sed quae §. XXVI. & XXVII. de quiete & motu dicta sunt, de his quoque valent. Restat ergo vt de *animi pathematibus*, quae aeque §. XVI. tetigimus, quaedam adiiciamus. Haec vti mortales frequenter exercere solent, ita saepissime caussa sterilis matrimonii sunt. Iam Stoici, in caussas sterilitatis inquirentes, eas in dissensu inter virum & feminam omnes complecti statuebant, cuius dissensus fundamentum docebant latere vel in corpore, si alter coniugum sit pusillus, alter grandior, qua ratione genitalia instrumenta nullo modo possunt bene cohaerere: vel in incongrua corporis temperie ac temperamentorum nimia contrarietate: vel porro in animorum morumque diuersitate, vel denique in aetatis, gentis, ac victus discrepantia nimia. Et sane ex his principiis dissidia, odium, moerorem & zelotypiam, coniugum animos discruciantes thorumque infoecundum reddentes affectus, oriri, quotidiana testatur experientia.

§. XXXI.

Tandem & malam corporis artuumque conforma-

formationem, morbos item acutos & chronicos, articulorum & neruorum affectus vehementes ac diuturnos, mala, viſcera afficientia & vires corporis depaſcentia, plerumque ſterilitas comitatur *l)*. Nihil dicam de grauibus iniuriis & laeſionibus externe corpori illatis, contuſionibus, vulneribus, vlceribus ac fiſtulis, inprimis in regione organorum generationi inſeruientium profundius penetrantibus, quae omnia quam facile foecunditati officere poſſint, multorum triſtia exempla teſtatum reddunt. Atque haec de vniuerſis illis morbis & affectibus corporis internis & externis valent, qui illud vel totum adfligunt, vel per ſympathiam partes genitales in conſenſum trahunt, nullo reſpectu habito ad ſexum.

§. XXXII.

Ceterum vt hanc partem de cauſſis ſterilitatis finiamus, illud reliquum eſt adiungere, an & *maleficiis*

l) Teſtatur id quoque FERNELIVS, dum *Lib. VI. cap. XVII.* ſteriles vtplurimum fieri ſcribit eos, qui cum morbo acuto, vel diuturno, humores deprauante & ſpiritus principes offendente, conflictantur; qui viſcerum latente vitio, intemperie, obſtructione, ſcirrho laborant; quiue cachexia, vel leucophlegmatia, ictero, vel lenta febre corpus extenuante, vel cacochymia affecti ſunt, addens rationem, quod viri his malis obnoxii ſemen non proferant, vel prorſus euanidum & languidum: feminae vero ita affectae ſemen vtero non concipiant, conceptum non foueant & nutriant, ſed extinguant, &c.

ciis magicisque incantamentis ea possit mortalibus inferri. Id fieri posse non solum credulum vulgus persuasum sibi habet, sed & plurimi veterum ac superioris seculi Medicorum idem statuebant, plurimis obseruationibus de fascino, nodis ac ligationibus, quibus eorum scripta scatent, hoc testantibus. Rident vero haec hodie oculatiores naturae scrutatores, acutioresque rerum, quae in mundo fiunt ac fieri possunt, iudices, nec immerito. Neque enim daemoni, vel hominibus cum hoc, vt putatur, commercium habentibus, tanta est in corpora mortalium potestas, vt illam, quam Creator illis ad speciei suae conseruationem benigne indidit, generandi virtutem extinguere, artibusque suis sufflaminare possent. Omnes itaque illos nodos in filo, vel vestibus neosponsorum tempore nuptiarum factos, clausas serras *m)*, cultros inuersos, vel parieti infixos, sexcentasque huius generis superstitiosas, quae tempore copulae sacerdotalis, vel nuptiarum, a vetulis vulgus sibi metuit stultitias, nihili facimus, certo persuasi, si nullum vitium internum vel externum in corporibus coniugum, & inprimis in partibus genitalibus latet, & mutuus consensus ac amor coeuntium adest, nisi ipse Deus imperscrutabili modo iis benedictionem suam differre, vel denegare velit, aut vterum mulieris claudat, vt Sarae vel Elisabethae, nullam daemonum instrumentorumque Satanae prohibere,

m) vid. ETTMÜLLER, *loc. c. Cap. XVI.* & HELMONTIVS *de Curis magn.* IOEL, *Tom. IV. Lib. VII. Sect. I. c. 6.*

hibere, aut impedire poſſe, quo minus vota coniugalia adimpleantur. Nec mouent nos exempla a ſuperſtitioſis & credulis illis obſeruatoribus adnotata, qui rerum phyſicarum, & inprimis anatomiae corporis humani ignari & rudes, ſi nullum externum in corpore vitium cernebant, nihilominus tamen coniuges ſteriles eſſe videbant, mox cauſſam faſcino & incantationibus adſcribebant. At ſaepe quae mentis & oculorum Medici acies adſequi non poteſt, cultri anatomici detegit acies; immo etſi haec non detegeret, ſatius eſt corporis & animi ſingularem conſtitutionem, vel vitium in vaſculis horumque ſtructura intricatiſſima, ſubſumere, quam ad aniles eiusmodi fabellas concludere. Interim quod lenta venena, philtra poculaque ſic dicta ſterilitatis, corpus adfligere, eneruare, ſicque hominem ſterilem efficere poſſint, non inficiamur, at hoc veneficium eſt, non faſcinum.

§. XXXIII.

Hactenus de cauſſis ſterilitatis in genere. Ordo iam, quem ſupra nobis propoſuimus, monet, vt ad eas tranſeamus inquirendas, quae in ſpecie in hoc vel illo ſexu infoecunditatem producere poſſunt. Id quod ſine mora praeſtabimus, ſingulas partes generationi inſeruientes nunc indagaturi, quibus illae vitiis morbisque, foecunditati officientibus, ſint obnoxiae. Prodeat ergo primum mas, cui praeter probum corporis habitum, ad celebranda Veneris ſacra neceſſaria ſunt vaſa ſpermatica integra, membrum principale penis & teſtes, ſufficiens denique & quan-

titate, & qualitate materia, seu liquor seminalis. Vasa, sunt thesaurum genitalem secernentia, praeparantia, adseruantia & excernentia. In elaboratione & perfectione attendi merentur vasa memorata spermatica cum neruis, testiculi cum epididymidibus & vase deferente, harum denique partium inuolucrum, scrotum, cum cremastere musculo. Primum, quod ad vasa spermatica attinet, haec per longam viam, arteriae nempe ordinarie ex aorta sub emulgentibus prodeuntes, venae vero, dextra ad venam cauam prope renes, sinistra ex renali sui lateris, aut emulgente, ad testes procedunt, hisque secretam, sed adhuc rudiorem genituram ad perficiendum tradunt, quae si deficiant in aliquo mortalium, plenariam, connatam & incurabilem ei inferunt sterilitatem, qualem casum habent *A.N.C. Dec. I. Ann. III. obs. 113.* Ita etiam si arteriae istae iusto minores & teneriores sint, vt sufficiens quantitas floris sanguinis ad seminis secretionem aduehi nequeat, vel arteriae aeque ac venae, quae per varias anastomoses sibi inuicem iunguntur, corpusque pampiniforme pyramidale constituunt, compressae, obstructae, vel in morbis testiculorum ac scroti, inflammatae, exulceratae, scirrhosae, vel in operationibus destructae, sint, vel etiam cirsocele laborent, pari ratione virum impotentem ac sterilem efficiunt. Ne dicam de subtilissimis lymphaticis, quae pariter suos manes pati possunt. Sic quoque si nerui, ex vicinitate huc accedentes, debiles nimis, vel iusto pauciores, obstructi & paralytici sint, idem malum inducent. Vti vero haec difficul-

ficulter deteguntur, ita ostendunt, quam occultae saepe caussae sint minus foecundi thori coniugalis.

§. XXXIV.

Testiculos deinde, & his superincumbentes parastatas, variis vitiis saepissime adfici, nemo inficiabitur. De structura eorum, an glandulosa sit, an vasculosa, an plane singularis, lites Anatomicorum nostras hic non facientes, notamus, plenarium testium defectum sterilitatem omnino inferre, prout hoc castrati spadonesque suo exemplo docent, quippe qui cum TIBVLLO *Lib. IV. carm. 13.* merito canunt:

Nam licet e coelo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra, deficietque Venus.

De *spadonibus* interim, quos nonnulli ab *eunuchis* distinguunt, non desunt exempla, eos post exsectos virilitatis testes cum successu coitum celebrasse, id quod Illustr. HALLER, *in not. ad Prael. Boerhaau. ad §. 649. not. l.* pluribus casibus, ex obseruatoribus antiquis & recentioribus allegatis, illustrat, sed simul addit, tribuendum hoc esse penui seminis foecundi, cuius post castrationem tanta adhuc copia in vesiculis seminalibus remansit, quanta ad vnum & alterum coitum sufficere potuit, sed posthac manum de tabula. Citantur quoque ab Obseruatoribus exempla virorum, quibus nec ars, neque mars hunc appendicem abstulit, sed ipsa nouerca natura subtraxit, qualem casum habet SCHENCKIVS, *Lib. IV. de testic. obs. 2.* at caute circa hanc rem mercandum arbitror, neque statim ex apparente absentia testi-

culorum vir prosterili pronunciandus, quoniam saepe in abdomen retracti, & circa interiora processus peritonaei absconditi latent, notante Illustr. HALLERO, *l. cit. ad §. 641. not. cc. ibique citatis*, & nonnunquam in adultis casu prolabuntur ac in scrotum descendunt, vti nuper Clar. Dn. D. QVELMALTZ in Programmate, *de serotino testium descensu, eorumque retractione*, docuit. An vero ab hac occultatione vel retractione sterilitas dependeat eorum, in quibus testiculi non adparent, dubium est. Certe ipsa retractio, a cremastere musculo contingens, nisi vas deferens inde aliquam iniuriam patiatur, (quod vero non aeque adeo facile fit, cum illud singularis structurae sit, ita, vt non facile comprimi vel distorqueri queat,) vix impotentiam siue sterilitatem inferet, neque etiam, si memorata testium in abdomine occultatio a connata breuitate fasciculi vasorum spermaticorum dependet, si modo sanguis & quantitate, & qualitate rite ac sufficienter adfluat. Quodsi vero vel a spasmodicis quibusdam motibus in neruis & membranis, vel a nimio sanguinis in has partes adfluxu ac vasorum spermaticorum inde orta distensione & obstructione, abbreuiatio illa seu retractio oriatur, forsan aliquid incommodi in negotio generationis oriri poterit, si inprimis vasi deferenti simul vis inferatur. De reliquo, de eorum impotentia dubitandum non erit, quibus siue cultro, siue globi ictu, siue contusione, siue quocunque alio casu testiculi plenarie ablati sunt.

§. XXXV.

§. XXXV.

Illi autem inter impotentes referri nequeunt, quibus vel natura vnum tantum testiculum concessit, vel ars, aut infortunium alterutrum abstulit, cum hos satis foecundos esse obseruationes doceant. Ita Illustr. HALLER, *l. cit. §. 641. not. c**.* de Heluetis, apud quos frequens est, ob hernias, castratio, eos monorchides, pueros & puellas promiscue generare refert, & *Timaeus a* GÜLDENKLEE, *Opp. med. pract. Lib. III. Cas. XLV.* habet exemplum monorchidis, qui nihilominus XV. liberos vtriusque sexus genuit. Vid. etiam *A. N. C. Cent. I. obs. 191.* & *Dec. II. Ann. III. obs. 66.* itemque *Dec. I. Ann. XIV. obs. 13.* Multo minus polyorchides vitii sterilitatis arguere fas est, nisi illi, stimulis venereis nimis obnoxii, libidini indulgendo sese emasculent. Atque haec de situ & numero testiculorum; iam consideranda eorum magnitudo. Haec pro diuersitate subiecti aetatisque varia est; interim absque dubio maioribus testiculis pollens magis strenuum se exhibet in Veneris palaestra, eo, qui minoribus praeditus est, modo non sint iusto maiores, vt naturam tumoris induant, vel scirrho occallescant, tum enim prius ex pumice aquam expresseris, quam ex iis semen, nisi iterum emolliantur; quamuis & tum saepe adhuc anguis in herba lateat. Est enim structura testium adeo tenera ac sensibilis, vt facile, quo semel imbuuntur odore, seruent diu. Ex hac structurae consideratione quoque elucescit, quam facile iniuriae externae, vt frigus, collisiones, adtritus, vulnera, vlcera &

fistulae eos destruere, sicque sterilitatem inferre possint, vti id iam notauit CELSVS *de re medic. Lib. II. Cap. 18.* & LOMMIVS *Obseruat. med. Lib. II. p. m. 226. seqq.* vt taceam inflammationes eorum, gangraenam & sphacelum, successiuamque contabescentiam. Quod vero ex testiculis osseis & cartilagineis, quales describuntur in *A. N. C. Cent. I. obs. 30.* & *Dec. II. Ann. X. obs. 136.* non medulla speranda sit, per se patet. Ceterum status quoque varicosus, quem supra in vasis spermaticis accusauimus, in testiculos etiam & parastatas, cum vase deferente, cadit, quod vltimum, inprimis semine nimis turgidum, talem statum varicosum nonnunquam mentitur, id quod obstructionibus aliisque incommodis, consequenter & sterilitati, ansam praebere potest. Atque haec, quae hactenus de testiculorum vitiis dicta sunt, tum ob vicinitatem, tum ob structurae similitudinem, ad epididymides & vas eiaculatorium quoque adplicari possunt.

§. XXXVI.

Sed transeamus a nucleo ad corticem, siue *scrotum.* Videtur primo intuitu hoc inuolucrum parum aut nihil ad foecunditatem potentiamque virilem conferre, nisi quod aërem a sensibilissima testiculorum fabrica arceat. Verum si primo musculum cremasterem scroti, qui diffusis fibris suis testiculos, sacco quasi musculoso complexos, sustinet, consideres, aduertes hunc in Veneris exercitio testes versus radicem penis admouendo, & compressione eorum seminis eiaculationem adiuuando, plurimum ad gene-

generationem conferre, consequenter si hic vel resolutus, vel quomodocunque debilitatus ac vitiatus, hoc munere suo fungi nequeat, facile generationi officere potest. Deinde non minorem attentionem merentur varii tumores, quibus scrotum ipsum nonnunquam sedem praebet, quales sunt, hernia scrotalis, pneumatocele, hydrocele, sarcocele, aliique, qui omnes si in insignem molem, vti saepe fit, excrescant, coitum impediendo, vt notat immortalis memoriae BOERHAAVIVS, in *Praelect. ad Inst. rei med. §. 641.* sterilitatem producunt. Saccus enim iste ita saepe, his vitiis affectus, distenditur, vt membrum virile totum tumore abscondatur, retrahatur, vel ad minimum distorqueatur, eiusque erectio aboleatur.

§. XXXVII.

A scroto conuertimus nos ad lustrandas *vesiculas seminales n)*, receptacula illa secretae geniturae. Nolumus vero hic disputare, an in illis semen vlterius praeparetur, aut perficiatur, vel an oscula venarum resorbentium in iisdem hient, & abundans seminale liquidum ad massam humorum reducant: hoc tantum ponimus, nisi semine & quoad quantitatem, & quoad qualitatem ad impraegnationem sufficiente, vasa haec praedita sint, sterilem omnino celebrari coitum. Multo magis vero defectus harum vesicularum, vel destructio, obstructio, aliaeque iniuriae

n) Nimiam harum laxitatem & flacciditatem, cum orificiis in vrethram hiantibus, eiaculationem seminis laesam inducere, scribit ETTMÜLLER, *l. c. Cap. XV.*

riae iisdem illatae, generationem impediunt, idque vel ex eo, quod non facile vesiculae istae aliquo vitio laborent, quin & ipsum vas deferens, iis intime nexum, in consensum trahatur. Vt taceam hic illam gonorrhoeae speciem, in qua magma seminale ex his ipsis vesiculis infectis & exulceratis prodit, quod genituram quoque praeterlabentem inficit ac corrumpit.

§. XXXVIII.

Sistat iam se examini virga virilis, cum vrethra, glande, praeputio, corporibusque cauernosis. Non erit opus multis argumentis probare, quod plenarius penis defectus, siue is connatus sit, siue quocunque infortunio adquisitus, sterilitatem viro inferat, nisi quis vel ad obseruationes rariores, quae in PVRMANNI *Chirurg. Lib. II. cap. 28.* aliorumque scriptis prostant, prouocare velit, de quibus tamen sit fides penes auctores; vel membrum artificiale in subsidium vocare, cum tamen tali eburneo, aut coriaceo membro ornatus mas tribadem potius, quam virum se praestare poterit: vel denique cum aliis statuat, ad conceptionem non absolute requiri penis seminisque in vterum immissionem, adeoque conceptum sine geniturae iniectione fieri posse, quod vero aeque, ac impraegnationem in balneo, a semine, per virum prius in eodem balneante emisso, factam, inter fabulosas narrationes referimus. Non quidem minus membrum absolute ineptum ad generandum iudicamus; at, hinc non concludendum, quod, quia illud non penetrauit satis in vaginam, idcirco semen

non

non potuerit substantialiter peruenire in aruum muliebre. Notum enim est, liquidum hoc plasticum non simpliciter effluere in motibus venereis, sed vi quadam iaculatoria proiici, vteri vero, oestro venereo correpti, orificium adpropinquare quasi ad semen suscipiendum & absorbendum: vtut difficile sit, in ipso actu venereo tales obseruationes instituere, qui, adserente iam DEMOCRITO, epilepsiae quaedam species est, vbi magnae in oeconomia animali turbae fiunt. Statuimus itaque, plenarium virgae virilis defectum plenariam omnino inducere sterilitatem, paruum vero membrum, si cetera rite se habeant, pro receptiuitate subiecti, non absolute impotentiam, licet tamen difficultatem impraegnationis, inferre posse, modo non plane sit signum pro signato. Pari modo gracilitas huius instrumenti respectiue tantum impotentiam, pro diuersa capacitate vaginae muliebris, infert, cum haec sese contrahendo in oestro venereo facile semet subtiliori quoque virgae accommodet, colemque amplectatur; nisi cum nimia gracilitate flacciditas simul penis coniuncta sit, vt hic neque inflari, neque erigi possit, tum quippe impotentiam adesse nullum dubium est. Prout vero in quibusdam breuitate tenuitateque, ita in aliis mole nimia membrum virile peccat, atque generationi impedimento est. Nam si virga nimis longa est, haud exiguum inde incommodum orificium vteri experitur, adeo, vt femina talem virum exhorrescat, neque lubens cum eo in Veneris vsum consentiat. At huic vitio forte mutua partium patientia

ac concordia, vel etiam ars mederi potest, nec statim quemquam propterea impotentiae, vel sterilitatis arguendum existimamus, quod naturam iusto benigniorem expertus est. Neque magni facimus vanum quorundam metum, qui cum ARISTOTELE, *Lib. I. de gener. anim.* aliisque veteribus, ideo longos penes infoecunditatis damnant, quod in his semen, priusquam ad vterum penetret, in via refrigeretur; quam opinionem tanquam ineptam merito reiicit *Alexand.* MASSARIAS, *loc. cit.* Cum enim semen per canalem penis, qui & ipse tum aestu venereo calet, cuiusue caliditas a pudendo muliebri fouetur, transeat, videtur fieri non posse, vt illud refrigeretur, vt potius forte contrarium videatur, longum penem ad efficiendum conceptum aptiorem esse & accommodatiorem, quod sic semen sine loci & temporis interuallo protinus in vtero deponatur. Quodsi vero cylindri huius diameter vaginae muliebris diametrum multum superet, res inter illud par coniugum non caret suspicione thori sterilis; sed haec etiam sterilitas respectiua tantum est, immo saepe ad certum saltem tempus durans, donec nempe organa vtriusque coniugum sibi inuicem se accommodent, nisi plane vir, & longitudine & crassitie membri sui omnem modum exsuperans, Herculis clauam repraesentet. Quid si non modo molem, sed etiam vim multiplicatiuam sui in semet ipso membrum hoc ostendat? vt BARTHOLINVS *Inst. anat. Lib. I. cap. 24.* & SCHENCKIVS aliique obseruatores de duplicatura & triplicatura penis idem notarunt.

Rarior

Rarior hic casus non facile diiudicatur, nisi ipsa oculari inspectione, tum vero a prudenti Medico iudicium ferri potest, an vnum alterumque ex pluribus illis membris ad coitum aptum sit, nec ne.

§. XXXIX.

Ludit saepe natura prout in aliis rebus creatis, ita & in corpore humano formando, non solum artus membraque multiplicando, sed & dislocando. Sic laudatus SCHENCKIVS *Lib. IV. obs. 1. & 2.* de pene e capite propendente, alii ex aliis corporis partibus, historias referunt; atque de talium subiectorum foecunditate aut sterilitate quid sentiendum sit, contemplatio eorum docet. Interim quod ab excrescentia tali peniformi, alio in loco, quam in monte veneris facta, parum aut nihil in negotio generationis sperandum sit, si non certum, tamen probabile admodum est. Requiritur vero in viro non tantum membri debite proportionati praesentia, sed etiam vt illud illecebris Veneris iusto tempore ac ordine aurem praebeat, debito modo erigatur rigidumque fiat ac aptum ad adplicationem horis locisque consuetis. In hac re duplex potissimum vitium generationem impediens occurrere potest: primum si plane non *o)*, aut languide erigatur, quod vel a para-

o) ETTMÜLLERVS, *loc. cit. Cap. XVI.* laesae erectionis penis triplicem adducit caussam, 1) spirituum animalium defectum, non contrahentium musculos, quibus non contractis, venula laxatur, penisque flacce-

paralysi, vel alia musculorum erectoriorum laesione, vel a debilitate quadam siue vniuersali totius corporis, siue particulari neruorum, vel denique a defectu seminis probi ac viuidi, aliisque casibus, dependet. Idem vitium erectionis adest, vbi radix penis in dorso non satis valide ad symphysin ossis pubis adprimitur, sicque refluxus sanguinis per venam dorsalem non impeditur; immo & in ipsis corporibus cauernosis caussa latere potest, de qua tamen infra plura dicentur. Frequentissime vero caussa procatarctica flacciditatis & frigiditatis virgae virilis latet in Veneris abusu. Viri enim nimis frequenter concumbentes, teste GALE-

scit, id quod euenit, quando musculi, vel nerui, genitalibus partibus famulantes, sunt affecti, aut paralytici, hocque accidit vel a nimia equitatione, vel a casu super os sacrum, vel percussione circa partes vicinas. Sic quoque laesio capitis, eiusue vulnera, penis erectioni officiunt, teste HILDANO, *Cent. VI. obs. 59.* 2) quando spiritus animales in motu suo perturbati sunt, vel etiam mens turbata, vt in pudibundis, terrefactis, pauidis: Sic qui ad melancholiam hypochondriacam inclinant, propria imaginatione decepti, se impotentes putant; 3) deficientem stimulum, ex defectu, vel vitio seminis, conf. *Fr.* IOEL, *Opp. Med. Tom. IV. Lib. VII. Sect. I. cap. 6.* qui & cordis debilitatem, neruorum & arteriarum vasorumque spermaticorum obstructionem, renum insignem refrigerationem, caussis impotentiae adscribit.

GALENO, *Lib. I. de sem. cap. 16.* fiunt steriles magna ex parte; assiduis quippe coitibus totum semen exhauriunt, corpus vitali spiritu priuant, vires eius, cum puriore optimi sanguinis parte, dissoluunt ac dissipant, quo facto totum corpus languere, frigescere, & consequenter sterilescere oportet. Immo & ipsa nimia in libidinem propensio, vehementesque imaginationes venereae, pollutiones nonnunquam seminisque fluxum vel inuitis inducentes, idoneae sunt ad vires vitales dissoluendas sterilitatemque inferendam, quales obseruationes sistunt, VENETTE, MONTAGNE, SALMVTHVS aliique; ex nimia quoque verecundia Illustr. STAHLIVS impotentiam in viro notat. Nihil dicam de abusu aphrodisiacorum, diureticorum, vel etiam incauto vsu mercurialium remediorum, sterilitatem plerumque, teste Illustr. ALBERTI, in *Iurispr. med. Cap. II. §. XXIII. not. m.* inferentium. Interim non ignoramus esse viros, qui languenti ac flaccido peni mediante instrumento eburneo, ad id inuento, auxiliatrices manus ferri, sicque sterilitati ex hac caussa mederi posse existimant; at cum non simplex membri virilis immissio, sed etiam vis quaedam muscularis eiaculatoria, ad semen in sinum vteri muliebris immittendum, requiratur, id quod vero tali instrumento vix, ac ne vix quidem praestabitur; merito hinc quoque de eius felici applicatione ac vsu, exspectationi boni talis viri respondente, dubitamus, vt iam taceamus incommoda, quae in subiectum femineum inde redundant. Denique nec ipsa penis crectio vitio caret, quippe

saepe fit, vt ille rite erigatur ac intumescat, semen vero eiicere non possit, sicuti hoc FORESTVS aliique Auctores practici in pluribus subiectis obseruatum habent *p)*. Huc spectat satyriasis & priapismus, morbi penis spasmodici, in quibus hic & absque stimulis venereis, cum dolore erigitur tenditurque, nec non variae penis erecti distorsiones, & mox in hanc, mox in aliam partem incuruationes, vt ab Illustr. BOERHAAVIO *loc. cit. §. 658.* notatae sunt; de quibus omnibus sufficienter iam constat, quod sterilitati ansam praebere valeant.

§. XL.

Enumeratis hactenus in genere variis vitiis penem totum respicientibus, inspiciamus iam *vrethram*, canalem illum ex fundo ceruicis vesicae ad glandem vsque productum, cum variis suis lacunis & glandulis. Defectum huius plenarium obseruauit TVLPIVS *Lib. IV. cap. 36.* qui aeque ac colis absentia procul dubio sterilitatem inducit. In eo quoque potissimum sic dictum hermaphroditorum genus se prodit vti sorex, clitoridem sistens, cuius magnitudo facile negligentius inspicienti imponere potest, vt pro pene illam habeat, quippe cui nihil, nisi hic ductus, deest cum suo orificio; immo nonnunquam hoc quoque eam gaudere obseruationes docent, in quo casu an

p) VESLINGIVS adducit virum, qui erecto pene in coitu genituram non potuit effundere, cui postea flaccescente membro, ad lenissimum contactum semen effluxit.

an tale ſubiectum pro potenti ac foecundo declarari poſſit, ocularis inſpectio decidit. Vid. Illuſtr. ALBERTI *Iurispr. med. Cap. II. §. XXXI. ſeqq.* Sed licet adſit in membro virili iſte canalis, vti a potiori adeſt, poteſt tamen ille vario modo exulcerari, concreſcere, calculis impactis, vel carunculis & cicatricibus inaequalis & anguſtior reddi, vel etiam obſtrui, quae mala omnia vti vrinae, quae hanc viam communem habet, ſic inprimis craſſiori liquori genitali moram iniiciunt, vel etiam, praecluſa via, eius emissionem penitus impediunt. Maxime vero ſtatus vlceroſus aut ichoroſus glandularum in vrethra latentium, & proſtatarum in fluxu illo impuro, quem gonorrhoeam vocant, ſemen inficere, deprauare ac ſterile reddere poteſt. Ita etiam, ſi glandulae hae obſtructae ſint, vel in gonorrhoea, cuius ſedes, teſte Illuſtr. BOERHAAVIO, *loc. cit. §. 654.* in his eſſe ſolet, deſtructae & eroſae, dum nullum amplius ſemini vehiculum ſuppeditare poſſunt, generationem vtique impediunt.

§. XLI.

In ipſa porro *glande*, quae praeputio ſuo mobili tegitur, eadem contingere poſſunt, quae de vitiis laeſionibusque penis obſeruata ſunt. Quam maxime vero notari hic merentur vlcuſcula illa cancroſa, quae coronam penis in collo glandis nonnunquam obſident, quippe quae non modo coitum impedire, aut ſaltem difficilem ac dolorificum reddere, ſed etiam de maiori contagio venereo in ipſo ſemine latente ſuſpicionem praebere poſſunt, quod vltimum

mum haud raro ita glandem corrodit & absumit, vt ea, integra manente reliqua parte penis, decidat, cui quidem vitio plenariam impotentiam non adscribimus, si modo, post eius consolidationem, rite aperta maneat vrethra. Vbi vero huius orificium in glande non est apertum, vt SCHENCKIVS *Lib. IV. obs.3.* casum adducit, vel illud in loco insueto ac incongruo, e.g. in latere patet, nec arte error corrigi potest, vitium hoc omnino sterilitatem infert, dum in priori casu genitura emitti plane nequit, in posteriori vero non in transuersum vteri orificium, sed ad latera vaginae eiicitur, sicque ad locum debitum non peruenit: quod vitium saepe in ipso quoque fraenulo, glandem cum praeputio inferne connectente, latere obseruatum est, quippe si illud vel inflammatum, vel nimis paruum est, caput penis deorsum flectit, sicque situm orificii vrethrae debitum mutat. Idem malum euenit a chorda, totam virgam cum summo dolore ad inguina incuruante.

§. XLII.

Eadem impedimenta, quae de glande imperforata adducta sunt, generationi ponit *praeputium*, si illud vel a natura, vel a morbo concretum fuerit. Dein nimia quoque praeputii longitudo haud parum generationi officit. De Ebraeorum & Turcarum filiis MVSITANVS in *Trutin. Chirurg. Tom. II. Cap. 50.* refert, iis praeputium ita excrescere, vt ob monstrosam eius magnitudinem, nisi circumcidantur, ad coitum prorsus inepti fiant. Idem perhibet de Aegyptiorum & Arabum pueris VESLINGIVS,

Syntagm.

Syntagm. anat. Cap. IV. Immo testantur obseruationes HILDANI *Cap. IV. obs. 81.* & SCHENCKII *Obs. med. Lib. IV. obs. 8.* etiam in Christianorum liberis nonnunquam id contingere. Merentur hic apponi verba, cum adiectis rationibus, Clariss. Dn. D. *Io. Frid.* BAVERI, qui in Dissert. de *caussa foecundit. gentis circumcis. in circumcisione quaerenda, §. XVIII. Omnes*, inquit, *quibus natura praeputia formauit iusto longiora, ad coitum plane esse ineptos; quod concubitum semper magno cum dolore & incommodo agant, quod glans penis laqueo quasi contorquetur, & materia seminalis in cursu suo naturali impeditur, quo fit, vt spiritus euanescat, & coitus minus foecundus exerceatur:* id quod confirmant SCHVRIGIVS, *Spermatolog. Cap. X. §. 12.* & *Nic.* VENETTE, *de la Generation, Cap. III.* qui ita de hac re scribit: *Quelques hommes ont le prepuce si long, qu'ils ne sont pas disposes a se joindre amoureusement a leur femmes. La verge est importune en cet état, & elle ne peut communiquer sa semence, qu'elle ne soit evantée, & que par ce moyen elle ne soit pas capable de la generation.* Sed & nimia praeputii angustia hoc loco notari meretur: nam si ea tanta sit, vt supra glandem plenarie retrahi nequeat, *phymosis;* si non nisi ad mediam glandis partem, *capistratio* vocatur; immo nonnunquam inuolucrum hoc vndique glandi adnatum quasi adhaeret, quae vitia plurimum ad impotentiam conferre possunt, non solum molestissimos dolores viro in coitu excitando, sed & seminis emissionem impediendo. Denique si integumen-

tum hocce nimis breue, & ita retractum sit, vt collum glandis occupet ac stringat, fit *paraphymosis*, quod quidem malum non semper impotentiam infert, coitum tamen molestum ac difficilem reddere potest. Vnde laudatus Dn. D. BAVERVS *loc. citat. §. XXXV.* in vnum contrahendo, quae de diuersis phymoseos speciebus protulit, *ad sobolem*, inquit, *procreandam inhabiles sunt, qui dictorum quodam laborant vitio:* & ROLFINCCIVS *de part. generat.* dicit: *Vbi praeputium adeo est angustum, vt glans nequeat perforare, summa in coitu oritur difficultas: neque enim vrina, neque semen liberum exitum inueniunt.*

§. XLIII.

Quod ad sic dictos *infibulatos*, seu *impotentes temporarios* ac *artificiales*, adtinet, quales apud Aegyptios & Arabes olim frequentes erant, quippe hi populi, praecisa praeputii nimis longi parte pueris suis, reliquam eius portionem perforabant, & annulo transducto eorum castitatem custodire solebant, hosque *infibulatos* vocabant, & vbi demum adolescebant, coniugio aptos refibulabant; hos inquam nemo inter steriles referet, dum iis, sublato annuli impedimento, omnia rite respondent. Idem mos infibulationis veteribus etiam in sexu sequiori receptus erat, inprimis vero Nigris, qui ad virginitatem puellarum conseruandam, pudenda consuebant, alii traiecto per eorum labia annulo hoc praestabant: de quibus vid. Illustr. ALBERTI *Iurispr. med. Cap. II. §. XXIV.* Non dubitamus, minorem

fore

fore inter Christianos impotentium ac sterilium numerum, si & hi adolescentibus suis talia vincula carnis iniicerent. Tale quid vero illi vel praeter voluntatem experiuntur, qui per nimium aut impurum Veneris exercitium, tumorem illum crystallinum, *bullam crystallinam* dictum, sibi contraxerunt, qui nonnunquam eum tantum locum occupat, vbi praeputium fraenulo glandi adnectitur, interdum vero totum hocce inuolucrum, immo totum membrum virile. De *corporibus* denique vrethrae *cauernosis* valent ea omnia, quae supra de virga dicta sunt, quippe potiora illa vitia, quae de membri huius mole ac qualitate notata sunt, potissimum ab horum fulcrorum varia structura dependent. Hoc tantum hic addendum putauimus, quod ab inflatione & induratione eorum saepe oriatur morbus penis, *chorda* dictus, eandem varie distorquens, qui tumor si in vno latere tantum fuerit, virgam incuruatam reddit, tumque glans vel inaequaliter tenditur, vel plane flaccida manet, id quod sterilitatem inferre testatur Illustr. HALLER, *loc. cit. ad §. 654.* Simile malum metuendum est, vbi vrethra & glans vnice tenduntur, corporibus cauernosis flaccescentibus, eo, quod in hoc casu genitura debito cum impetu in sinum vteri muliebris spargi nequit, teste saepe laudato BOERHAAVIO *loc. cit.* Ceterum luxationem organi huius virilis non facile quisquam extimescendam habet, nisi os in ipsis corporibus cauernosis praeter naturam lateat, quale quid *Sim.* PAVLLI *Obs. med. physic. pag. 71.* adnotauit.

§. XLIV.

Interim contingere potest, vt, licet singula haec organa generationis virilia, suffragantibus etiam sensibus externis, rite se habeant, tamen vir labe sterilitatis laboret, & quidem vel ob dispositionem quandam occultam seminis, vel improportionem temperiei inter coniuges, vel ob aliud latens in corpore vitium. Quaeritur vero hic, an certa seminis probi ac viuidi quantitas ad conceptum requiratur, an, vt alii autumant, non tam quantitas eius, quam qualitas foecundum faciat coitum, adeo, vt hac rite constituta, etiam minima eius portio satis efficax sit ad impraegnandum? Fatemur difficile esse, aliquid certi in hoc negotio determinare. Ipse Medicorum parens HIPPOCRATES, *Lib. de genit. §. 3.* alibique omnino respexit ad debitam quantitatem, & τὸ ὀλίγον accusauit *q)*, dicit enim ibi: *Quibuscunque iuxta aures venae sectae sunt, hi coëunt quidem, & genituram emittunt,*

q) ETTMÜLLER *loc. cit.* defectus seminis duplicem notat caussam, alteram laesam generationem probi sanguinis, partisue eius chylosae, dulcis, pinguis, & generati consumtionem, vbi hic in corporis saginam a natura conuertitur, vel vehementibus animi corporisque laboribus, aut morbis diuturnis consumitur; alterum vitium testium, & vasorum secernentium ac praeparantium. Et *Vict.* TRINCAVELLVS *Consilior. Lib. III. consil. 78.* notauit casus virorum, a defectu seminis, pudendo resoluto, & imaginatione fortiori venerea sterilium.

tunt, verum modicam & debilem ac infoecundam. Exiſtimamus igitur non plane negligendum eſſe hoc momentum; magis tamen reſpiciendum ad illos, qui, vt COVS ait, debilem emittunt genituram; quae vero debilitas an ab eius cruditate *r)*, vel defectu caloris & ſpirituoſitatis, an vero ab agonizantibus animalculis ſpermaticis dependeat, noſtri non eſt hic decidere. Poſſunt certe ad hoc plurimum conferre omnes ſupra recenſiti errores, in vſu rerum non-naturalium commiſſi, laeſiones organorum ſecretioni & elaborationi ſeminis deſtinatorum. Et exinde etiam vitium eorum, qui loco ſeminis flatus per vrethram emittunt, vterumque muliebrem inflant potius, quam impraegnant, ortum trahere credimus.

r) Ab ea deriuat *Alex.* MASSARIAS, in *Praelect. de morb. mul. Cap. VI.* hanc ſeminis debilitatem, cauſſas adſtruens cruditatis, 1) omnes res externas, quae corpora noſtra poſſunt adficere & alterare; 2) vitia primarum viarum, in quibus improbae fiunt alimentorum concoctiones; 3) inſtrumentorum & vaſorum ſeminalium inſignem intemperiem, vnde illa nequeant materiam foecundi ſeminis adtrahere, nec adtractam concoquere & praeparare. Ex his vero & reliquae cauſſae, defectus nempe caloris & cruditatis liquoris ſeminalis, & vermiculorum ſpermaticorum debilitas, aut, vt GEOFFROY *Quaeſt. medica: An hominis primordia vermis?* docet, defectus horum animalculorum, absque dubio oriuntur. vid. eius Tract. *de mat. med. Tom. I. pag. 128. ſeq.*

§. XLV.

Denique quod ad qualitatem seminis adtinet, in ea diiudicanda aeque haud exiguae occurrunt difficultates, nisi ipse effectus de caussa testetur, e. g. si a virulentia vel impuritate quadam, vel etiam aliis vitiis in eo latentibus, ipsa mulier sana ac bono corporis habitu pollens, post coitum male se habeat, variosque motus spasmodicos vel hystericos inde patiatur, aut etiam variae efflorescentiae, vel tumores in corpore eius adpareant; quae omnia latentium in semine vitiorum indubitata sunt indicia. Accusant certe omnes liquoris huius genitalis nimiam viscditatem aeque ac tenuitatem, seu aquositatem *s)*; quod vltimum HIPPOCRATES iis proprium esse dicit, quibus nares humidiores sunt. Requiritur ergo ad coitum foecundum temperata quaedam geniturae consistentia, temperatus calor ac viuiditas, quae si non adest, sterilis omnino celebratur Venus. Modum excretionis thesauri huius genitalis esse debere eiaculatorium, supra innuimus, hinc quibus per modum stillicidii emanat, hi reuera oleum & operam perdunt, vti & illi infelicissimi mortalium, qui prae nimio oestro venereo, antequam organa rite iuncta sint, semen profundunt, vt membrum, vbi ad rem veniendum esset, flaccidum pendeat. Vt taceam illos, qui quoties Helenam quandam conspicantur, toties

s) FERNELIVS *Lib. VI. Cap. XVII.* steriles & infoecundos dicit, quibus tenue, aquosum languidumque semen est.

toties non solum membri erectionem, sed & genitalis liquidi effluxum vel inuiti experiuntur; quae omnia vti de debilitate vasorum continentium testantur, ita & sterilitatem demum certo inferunt, immo teste CELSO *Lib. IV. de re med. cap. 21.* interposito spatio, tabe hominem consumunt.

§. XLVI.

Dum hic de semine virili speciatim agimus, vel verbo tangendam putamus quaestionem: An & mulieres semine prolifero gaudeant, consequenter, an non in hoc vitium sterilitatis quaerendum sit? Si HIPPOCRATEM & reliquos priscos medicinae patres sequeremur, statuendum omnino esset, feminarum genituram aeque ac maris ad generationem concurrere, quippe bonus ille Senex *Lib. de genitur. §. VI.* expresse scribit: *Emittit autem & mulier e corpore genituram aliquando in ipsum vterum, qui sane inde humidus euadit;* & §. VII. *Postquam autem coiuit mulier, & si quidem conceptura non est inter se ipsam, quo more foras procedet genitura ab vtrisque, vbi femina volet. Si vero conceptura est, non procedit foras, sed manet in vtero genitura. Nam vteri susceptam & conclusam in se continent, osculo nimirum ipsorum prae humiditate contracto & concluso, simulque permiscentur, tum quae a viro venit, tum quae a muliere emissa est.* Huic demum hypothesi varia de conceptu maris vel femellae superstruit. At recentiorum si non omnes, tamen plurimi hanc HIPPOCRATIS sententiam reiiciunt, adseren-

serentes, liquidum illud mucosum, quod coitus tempore muliebria fundunt, Veteribus imposuisse, eo, quod analogiam quandam habere videatur cum semine virili; verum in hoc longe aliud quid latet, quod seminis essentiam constituit, quo mucidum illud vaginae muliebris vnguentum destituitur. Ad haec obseruarunt Anatomici, ea vasa, ex quibus humor hic libidinosus feminarum in complexu venereo erumpit, in exitu vaginae esse, neque, teste Illustr. HALLERO, *loc. cit. ad §. 673. not. c.* quidquam ex hoc humore in vteri cauitatem dimitti, adeoque nec ad generationem vllatenus aliquid conferre, id quod accuratissimi obseruatores, LEEVVENHOECK & MALPIGHIVS, clare ostenderunt. Vnde incomparabilis HARVAEVS, in *Exercitat. de generatione animal. Excercit. XXXIV.* scribit; *Vt vero iam praeteream, non omnes quorumlibet animalium feminas, nec mulieres quidem omnes, talem humorem emittere, nec citra eiusmodi emissionem conceptum necessario frustrari; noui enim plurimas, quae citra talem eiectionem foecundae essent, & nonnullas etiam, quae postquam eiusmodi emissionem expertae sunt, maiori quidem voluptate in coitu delectarentur, sed de foecunditate solita plurimum amitterent.* Infinita sunt exempla feminarum, quae, licet in coitu voluptatem sentiant, nihil tamen emittunt, & nihilominus concipiunt. Nec obstat, quod feminae aeque suos testes habeant, his enim non semen, sed oua praeparant, docente immortalis memoriae BOERHAAVIO *loc. cit. ad §. DCLXXI.* Certum itaque est, neque semi-

semine prolifero feminas gaudere, neque ex hoc capite eas steriles dici posse.

§. XLVII.

Alia vero in his, eaque numerosissima deprehenduntur generationis impedimenta, quae iam in specie inuestigabimus, lustraturi eodem ordine omnem adparatum muliebrem. *Lazar.* RIVERIVS *Prax. med. Lib. IX. Cap. XV.* sterilitatem in feminis quatuor modis contingere posse statuit, nimirum si non recipiant conuenienter virile semen; si non retineant iam receptum; si receptum non foueant & conseruent; ac denique si non nutriant dictum semen ad formationem & incrementum embryonis. Quod ad primum attinet, nullum dubium est, varias excrescentias, tumores & exulcerationes labiorum vaginae ac sinus muliebris non solum coitum prohibere, vel saltem difficilem reddere posse, sed & seminis receptionem frequentissime impedire. Sic clitoris nonnunquam tantae magnitudinis esse solet, vt formam virgae virilis adaequet, quae erectione & intumescentia sua impedimento est, quo minus vir feminae se apte iungere possit, vt COLVMBVS aliique obseruatores id notarunt. Pari modo tumores in nymphis frequentes, fungosae varicosaeque excrescentiae, & efflorescentiae in & circa sinum muliebrem, insignes coitus & conceptus difficultates inferunt, vt recte de his cum TIBVLLO *Lib. I. Eleg. X. v. 20.* dicere possimus:

Asperaque est illis difficilisque Venus.

Circa has ipsas muliebrium partes variae disseminatae sunt glandulae, humidum mucosum secernentes, quod saepe, contracta ex variis caussis acrimonia, adiacentes partes erodit, atque inflammationes, excoriationes, aliaque plurima mala producit. Immo non sine ratione illi, qui cum BAGLIVIO in *Prax. med. Cap. VIII.* inter fluorem album & gonorrhoeam muliebrem distinguunt, in hisce glandulis sedem morbi quaerunt, ex quibus sub ipso etiam fluxu menstruo saepe impurus ac virulentus humor stillat; quae vitia dum portam vteri obsident, sterilitati omnino ansam praebent.

§. XLVIII.

Nec desunt obseruationes, a SCHENCKIO *Lib. IV. obs. 12.* aliisque de feminis factae, quibus orificium vteri vel a natura inde ab vtero materno clausum, vel a morbo concretum est, quod vitium tanquam generationis obicem iam HIPPOCRATES *de morb. mul.* adnotauit, & inprimis CELSVS *Lib. VII. de re medic. Cap. XXVIII.* dum, *feminarum*, inquit, *naturalia nonnunquam inter se glutinatis oris concubitum non admittunt.* Hoc vitium in recens natis mox se prodit, vbi atretulae illae, mingere haud valentes, perpetuo clamant, & nisi tempestiua per scalpellum operatio suscipiatur, breui ipsis pereundum est. Aliae vero aperturam quidem habent exiguam pro vrina reddenda, attamen os vaginae vteri membrana clausum est, quae, vbi adolescunt, nec concubitum admittere, nec menstrua fundere possunt. Aliae denique os vaginae membrana clausum

sum habent, relicto tamen foraminulo, per quod menstrua suo tempore prodire possunt, sed concubitum eae admittere nequeunt, id quod saepe nonnisi a sponso detegitur. Vid. Illustr. *Laur.* HEISTERI *Instit. Chirurg. Part. II. Sect. V. Cap. CXLVI.* Hae interim sterilitatis caussae, vbi detectae sunt, tolluntur scalpello & forfice, manu experti Chirurgi admotis. Longe difficilius autem curationem illae recipiunt, quae crassa & densa carne clausam, aut plane coalitam habent vaginam, conferuescentibus vbique eius parietibus, quod ex variis caussis externis & internis oriri posse docet laudatus Vir, *loc. cit. Cap. CXLVII.* Denique nimia quoque aditus huius angustia, siue vitium hoc a conformatione, siue a praua curatione ortum sit, negotium generationis impedit, vt & enormis nympharum excrescentia, fungi ac tubercula, itemque carunculae externas internasque vaginae partes infestantes, & saepe ad crura vsque propendentes. Ita etiam mirae crurum distorsiones, enormis omenti pinguedo, muliebria operiens ac deformans, facile coitum aeque ac conceptum impossibilem reddunt. Equidem non ignoro, complura a BOHNIO, TAVRYO, HARVEO & RAIO, in obseruationibus suis, adduci exempla atretarum & angustarum, quae absque immissione seminis concepisse traduntur: sed cum obseruationes hae vel ipsa partus occasione, vel certe longo post impraegnationem tempore in illis feminis factae sint, magis credibile est, his tum, cum conceperunt, vias ad vterum patuisse liberas, & non nisi postea

morbo, vel alio casu, orificium vteri coaluisse; sed videsis de hac controuersia Illustr. HALLERVM, *l. c. ad §. DCLXXIII. not. f.* In ipsa porro vagina interdum variae polyposae & fungosae excrescentiae, vlcera, rhagades, ac fistulae cicatricesque occurrunt, quae non minus generationi officiunt. Proinde quoque benigna mater natura, vbi frictio vel motus frequentior in corpore humano esse solet, glandulas liquidum mucosum secernentes adposuit, quo superficies partis illius inungitur, id quod & in vagina obseruatur; hinc si glandulae hae obstructae sunt, ex defectu humoris istius sicca vagina, ariditate sua in complexu venereo coniuges non solum omni oblectamento priuat, sed etiam varia incommoda infert: si autem nimia eam inundat liquidi huius unguinosi copia, lubricitatem & laxitatem, vel etiam ipsius membranae, vaginam inuestientis, relaxationem ac prolapsum inducere, sicque sterilitatem excitare potest, nisi ars manu medicamentisque mature succurrat.

§. XLIX.

Sed inspiciamus iam *vterum*, primum illud omnium mortalium domicilium. Ad huius colli orificiique situm obliquum respexit potissimum HIPPOCRATES *Lib. de sterilit.* & DEVENTERVS, respectu partus difficilis, in *Nouo lumine obstetricum, Cap. X. XII. XLVI.* Meretur certe *Sect. V. lib. cit.* huc transferri, vbi diuus ille Senex scribit: *Et si os vterorum ex pudendo exciderit, neque sic concipit. Nam os durum fit, & genituram non suscipit, & intumescit, & propterea in totum infoecunda est.* Manife-

nifesta est autem haec affectio, ex eo, quod contingit. Et si non prodeant menses, velut debent, sed deorsum processerint in sedem, neque sic in ventre concipit. Manifestum est enim, quod os vterorum a pudendo auersum est, aut conclusum. & si quidem ad sedem auersam fuerit osculum, aut conclusum, curata foecunda fit. Vtrumque vero ex interrogatione & responsione manifestum fit. Si enim menses semper sic prodierint, clarum est, quod his morbus caussa est. Atque tot ac talia mulieribus contingunt, propter quae non pariunt, antequam curentur, & propter quae omnino steriles fiunt. Quare mirari mulieres non oportet, quando coëunt quidem, non autem saepe pariunt. Plura loca huc facientia eodem libro, vt & *Lib. de Natura, & de morb. mulier.* prostant, ex quibus clarum est, saepe sterilitatis caussam in orificio vteri latere, quatenus illud praeter naturam in aliquam partem declinat, sicque distortum est, vt semen in coitu ad locum debitum penetrare, adeoque conceptus fieri nequeat. Ita etiam, si illud vel humore viscido, vel mensium & lochiorum sanguine coagulato aut concreto obstructum, vel etiam exulceratum callosumque sit. Non minus quoque vbi illud nimis hiat, teste HIPPOCRATE, genituram non suscipit, immo & susceptam non retinet, sed mox dimittit. Nonnunquam quoque vagina cum omento cohaeret, ex quo sterilitatem oriri statuit laudatus Senex *de sterilibus, Sect. XV. Aphor. Sect. V. Aphor. 46. & de natura mul. XIX. 4.*

§. L.

A tot ergo tantisque malis obnoxio, totque impedimentis generationis circumuallato vteri aditu & vestibulo, facile concludere licet ad ea, quae in interioribus eius recessibus cellulisque latere possunt. Supra iam notauimus, HIPPOCRATEM aliosque veteris ac recentioris aeui Medicos hoc viscus omnium morbornm muliebrium scaturiginem dicere. Structuram eius ex anatomicis supponimus vasculoso-fibroso-spongiosam, vel si mauis, plane singularem, vique huius structurae illum aptum esse iudicamus primo, vt statis temporibus vectigal lunare soluat, dein genituram hauriat ac suscipiat, tum ouulum foecundatum, ex ouario & tuba Fallopiana deuolutum, recipiat, retineat, foueat, & vsque ad debitum tempus nutriat, ac in termino consueto foetum maturum edat. De fluxu menstruo, in quantum huius excessus, vel defectus, vel irregularitas, aliaque vitia sterilitatem producant, in antecedentibus fusius iam egimus; quod ad reliqua igitur momenta attinet, indagandum adhuc est, quae & qualia obstacula conceptionis ac generationis in vtero latere possint, idcirco considerabimus primum ipsum vterum cum adnexis suis ligamentis, tum tubas Fallopianas cum adiacentibus ouariis.

§. LI.

Pro diuerso corporis feminei habitu diuersaque temperie, vteri quoque statum variare supra innuimus, cadunt quippe in hoc viscus omnes ibi memoratae intemperiei species, humida ac sicca, calida atque

atque frigida, quae vitia sterilitatem inferre ex HIPPOCRATE supra §. XV. ostendimus *t)*. Sed & densam vteri structuram COO suspectam esse, patet ex *Sect. V. Aphor. 59. & 62.* vbi hanc methodum explorandae foecunditatis praescribit: *Si mulier in ventre non concipit, velis autem scire an conceptura sit, vestimentis circumtectam ex infernis suffito. Et si quidem odor per corpus tibi procedere videatur ad nares & ad os, scito quod ipsa non propter se ipsam infoecunda est.* Densus enim, & ex hac caussa sterilis vterus, ex mente laudati senis τὸ volatile in suffitu non transmittit. Quidquid vero de hoc experimento statuatur, existimamus, nimiae densitatis accusationem non carere fundamento, cum inde partim vasorum obstructiones, partim elasticitatis defectus necessario sequantur, quibus dein & conceptio, & foetus nutritio ac incrementum impediri debent. Recte ergo LOMMIVS, *Obseruat. medic. Lib. II. p. m. 247. Primum itaque*, inquit, *scire licet, non concipere feminam posse, cui nimium frigidus ac densus est vterus, in quo nimirum viri semen extinguitur, nec etiam cui is ipse praesiccus atque calens est, nam semen, deficiente nutrimento, corrumpitur.* Praeterea cum in

t) Ex quo Clariss. MANNINGHAM *loc. cit. p. 51.* aphorismum sequentem format: *Mulieres*, inquiens, *quibus vterus male temperatus est calidior, aridior, frigidior, humidiorue iusto, plerumque steriles sunt.* Conf. & *Francisc.* IOEL, *Opp. med. Tom. IV. Lib. VIII. Sect. III. Cap. I.*

in vterum innumerae maiores & minores arteriae ac venae, vasaque serum lymphamque vehentia, cumulatim coëant, necessario in hunc, tanquam centrum corporis muliebris, omnes superflui humores congeruntur & confluunt, quorum tam effluxus continuus, quam stagnatio, coagulatio, concretio, vel viscida ac pituitosa infarctio, hincque nati polypi, obstructiones *u)*, vel si humores hi putrescant & acres euadant, inflammatio, gangraena, sphacelus & nonnunquam vteri cancer, totidem conceptus impedimenta, vsque dum medicamentis tollantur, sterilitatem indubitato producunt. Huc refer statum corporis muliebris cacochymicum, cachecticum & tabidum, morbos item acutos & chronicos, quiue vel organa haec generationi dicata per sympathiam afficiunt, vel sanguinis probi genesin ac praeparationem laedunt, menstruas denique anomalias, rheuma catarrhumque vteri, fluorem album, inflationes, & quae sunt aliae harum partium adfectiones *x)*. Nihil dicam

u) Ita Fridericianae huius quondam ornamentum, *Frid.* HOFFMANNVS, *Oper. Tom. III. Sect. I. Cap. VI. §. 11.* ex atonia vteri, menstruis imminutis omnique humorum massa vitiata, sterilitatem oriri docet. Conf. ibid. *Cap. IV. §. 4.* Et *Vict.* TRINCAVELLVS *Consil. Lib. III. Consil. 79. & 80.* varia exempla habet feminarum illustrium, ex obstructione vteri itemque eius lubricitate sterilium.

x) A passione hysterica diuturna SYDENHAMVS in *Diss. episto-*

dicam de vteris hydropicis, scirrhosis, cartilaginosis, mola, aut sarcomate obsessis, monstroseque deformatis, de quibus obseruatores, SCHENCKIVS, RIOLANVS, HARDERVS, aliique consuli possunt, quibus malis adfectae feminae ad concipiendum omnino inhabiles, adeoque steriles sunt.

§. LII.

Non minus etiam, quae primum nominanda erat, praua vteri structura, situsque praeternaturalis, saepe sterilitatis caussa esse potest, siquidem hic in pelui muliebri, tanquam ζῶον ἐν ζώῳ, libere sursum & deorsum, antrorsum & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum moueri, situmque & figuram suam frequenter mutare creditur, quos errores in situ vteri fusissime prosequitur HIPPOCRATES, *de morb. mulier. I. & II.* sterilitatem ab hac caussa quoque deriuans. Ita etiam in partu contra naturam, violentaque secundinarum, vel etiam foetus extractione, laesis destructisque vteri musculis, vel post sanationem laesionum aut vlcerum, cicatricibus relictis, difficilis vel plane impossibilis efficitur conceptus. Obseruatores mentionem quoque faciunt vaginae vterique duplicis, vel septo quodam in medio diuisi, vt Illustr. HALLER, *loc. cit. ad §. DCLXIV. not. h.* complures obseruationes allegat, id quod quamuis rarius contingat, tamen vbi adest, facile impraegnationem impedire, adeoque

epistolari ad Guil. COLE, hydropem testium muliebrium, atque sterilitatem oriri docet. Vid. *Opp. med. Tom. I. p. m. 266.*

feminam sterilem reddere potest. Tandem de sectionibus caesareis notandum duximus, eas, si a prudenti & experto fiant Chirurgo, neque lethales esse, nec foecunditati officere, docente Illustr. PLATNERO, *Instit. Chirurg. §. 1439. in notis*, & GOFEY in *Hypothes. de generat. foetus, eiusque partu tum naturali, tum violento*, vbi sub finem varia exempla adducit feminarum, operationem caesaream plus vice simplici feliciter sustinentium, inprimis vero vnius, quae sexies violento tali partu viuos ac robustos infantes edidit, extincto autem chirurgo, sex hasce operationes peragente, dum alter imperitus septimum foetum exsecaret, culpa chirurgi mater exspirauit.

§. LIII.

Interdum totum vterum ex pudendo excidere & instar scroti propendere, HIPPOCRATES *de morb. mulier. Lib. II. §. XXXIII. & seqq.* iam notauit, qui si ab aëre frigido afficiatur, facile incurabile contrahit vitium, vel etiam indurescit. Igitur nisi confestim debite reponatur, & sollicite curetur, labem sterilitatis contrahit. Quod vero ad tubas Fallopianas adtinet, si harum ductus vel a natiuitate clausi, vel casu quocunque obstructi & obliterati fuerint, vel cicatrice, a variolis, vel erosionibus vlceribusque superstite, obsessi, impedita ouuli impraegnatione & in vterum deuolutione, generatio quoque impeditur; tantoque magis, si memoratae tubae penitus a natura nouerca denegatae, vel morbo deletae sint. Recte ergo a coecis Fallopianis tubis sterilitatem deducunt RVYSCHIVS *Obs. 83.*

&

& MANGETVS *in Theatr. anatom.* quas nonnunquam per totum tractum concretas, interdum hydropicas, & in stupendam molem a collectis aquis extensas, obseruarunt DUVERNEY & HARDERVS in *Apiario n. LXXXVIII.* alii varie distortas & ab ouario aberrantes inuenerunt fimbrias, denique easdem vitiatas & paralyticas, quibus rebus fit, vt, dum in coitu omnia tument oestro venereo correpta, hae languidae iaceant, sicque conceptum impediant.

§. LIV.

Restant vltimo ipsa *ouaria*, quae cum singularis sint structurae, vitia quoque in iis latentia non facile deteguntur. Interim notamus in his hydatides tumoresque ouulorum hydropicos, steatomata, molas, itemque concrementa carnea, vel cartilaginea, saepe in ouariis enata, oua in abdomen effusa, vel indurata ac scirrhosa, destructa, aut euanescentia, quales casus ex obseruatoribus adducit Illustr. HALLER, *l. c. ad §. DCLXIX. not. gg. & ad §. DCLXX. not. b.* atque hic status ouarii & ouorum muliebrium morbosus, siue ab intermissione Veneris, siue alio quocunque infortunio contingens, feminis maculam inurit sterilitatis; tanto magis, si, vt COLVMBVS obseruatum adnotat, & vterus & ouaria penitus desiderentur. Ita etiam si contingat oua multo maiora esse, quam vt a tuba recipi possint, vt DUVERNEY *Zod. Gall. Ann. II. mens. Mart.* nec non LEEUWENHOECK & VALLISNERIVS obseruarunt; aut flaccida, marcescentia, vel duro carnosoque admodum cortice inuoluta, scabra, qualia in annosioribus

mulie-

mulieribus notat Illustr. HALLER, *loc. cit. ad §. DCLXIX. not. d.* quae ouorum adfectiones singulae sterilitatem inducere possunt. Nec omittenda LISTERI obseruatio, qui in *Tract. de Fontibus medic. Angl.* frequentem sterilitatis caussam ponit in cicatricibus, feminarum ouariis, aut ipsis ouis a variolis penitus lateque insertis.

§. LV.

Non dubitamus equidem, plura adhuc tam in maribus, quam feminis, latere felicis humani generis propagationis impedimenta; sed nobis haec de sterilitatis in vtroque sexu caussis dicta sufficiant. Felices nos reputabimus, si quas earum cognoscere ac diiudicare potuimus, feliciores illos salutabimus, qui omnes eruent, & cognitas feliciter tollendi methodum indicabunt, nobis enim iam de caussis dicere animus erat

TANTVM.

ERRATA.

Pag. 6. lin. 16. *videns* lege *videas.*
Pag. 40. lin. vlt. *nullam* leg. *nullum.*
Pag. 53. lin. vlt. *crectio* leg. *erectio.*